35.3.A.12.

LVCTA D. THOMÆ,

Contra præmotiones phyſicas:

IMO ETIAM

S. AVGVSTINI

Contra gratiam phyſicè efficacem.

Sub earum media inter extremas expoſitione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F. C.

M. DC. LI.

35, 3, A, 12
op. 2

APPROBATIO CENSORIS.

LIbellus hic, cui Titulus, *Lucta D. Thomæ contra præmotiones phyſicas & S. Auguſtini contra gratiam phyſicè efficacem* &c. ver- modeſtus, & modernæ de Auxilijs examinen- ac decidendę difficultati non fruſtraneus, im- mi poterit ; præſertim, cum gratiam phyſicè cacem alio ſenſu non impugnet, quam præ- tiones phyſicæ (permittente S. R. Eccleſia) otidiè à Philoſophis & Theologis impugnan- : deindè etiam, cum multò minus de Con- dia gratiæ cum libero arbitrio tractet, quam r, R. P. Antonij Richardi, cui Titulus *Diſ- tio Theologica de libero Arbitrio.* quem tamen Romana Inquiſitio Generalis, litteris (teſte thore Tractatus, *quo veritas Bullæ Vrbinianæ onſtratur* &c. quem approbauit An. 1650. D. R. du Lauri, Decanus & Officialis Namur- ſis, librorum Cenſor) ad Illuſtriſſimum Do- num Pronuntium datis Anno 1647. cum le extollit & approbat : & denique, cum n illam, inter Ianſenianam & Moliniſti-, meditari & tentare videatur, quam Vr- bi-

biniana meditandam relinquit (nè alioqui Scholas Theologicas claudere oporteat, cum vix Tractatus ſit, in quo de gratia & libero mentio facienda non ſit) dum pro vel contra Ianſenium aut PP. Societatis Theſes, ſcribere prohibet: quod tamen in Libello iſto maximè placet, eſt, quod monente Auguſtino lib. 4. ad Bonif. cap. 5. *ita inter vtrumque ſit cautus, vt ſic declinet Manichæum, nè ſe inclinet in Pelagium: rurſuſque ita ſe ſeiungat à Pelagianis, vt non ſe coniungat Manichæis, & ſic ſe à quibuſlibet alteris ſeruet vt in alteros non irruat*. ita ferè Auguſt. loco cit.

T. C. T. C.

LVCTÆ

...ui Thomæ contra præmotiones phyſicas, imò & Auguſtini contra gratiam phyſicè efficacem.

LVCTATIO I.

...n S. Thomas præmotiones phyſicas, vulgò Thomiſticas agnorit.

...è Relučtationem.

SVppono 1. Creaturas ſiue cauſas ſecundas debere à Deo moueri ad agendum, ita D. Thomas 1. part. qu. 84. art. 1. *Libe... arbitrium non eſt ſufficiens ad aliquid volendum, ...moueatur & iuuetur à Deo*, & 1. 2. quæſt. 109. ...per totam, & nominatim artic. 1. *Sic igitur ...intellectus & cuiuſcumq; Entis creati, dependet ...o* &c. *in quantum ab ipſo mouetur ad agendum.* ...c. 2. *Mens hominis etiam ſani, non ità habet do...m ſui actus, quin indigeat moueri à Deo.* Art. 3.

 He-

Homo in ſtatu naturæ integræ poterat operari, &c. *licet non abſque auxilio Dei mouentis.* Artic. 4. *Indigent inſuper in vtroque ſtatu auxilio Dei mouentis*, &c. & quæſt. 22. de verit. artic. 8. *Sicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ità omnis actio voluntatis, in quantum eſt actio, non ſolum eſt à voluntate, vt immediatè agente, ſed à Deo vt primo agente, qui vehementius imprimit.* Concordat Scriptura Iſai. 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Actor. 17. *Non longè eſt ab vniquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.*

II. Suppono 2. Motiones illas poſſe vocari applicationem virtutis ad agendum juxtà illud D. Thomæ qu. 3. de potent. art. 7. in corpore, *Sequitur de neceſſitate quod Deus ſit cauſa actionis cuiuſlibet rei naturalis: vt mouens & applicans virtutem ad agendum.* Et infrà. *Sic ergò Deus eſt cauſa actionis cuiuſlibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conſeruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit.* Item 1. part. quæſt. 105. artic. 5. ad 3. *Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum.*

III. Suppono 3. Motiones illas rectè etiam vocari determinationes voluntatis, vt patet ex D. Thoma 1. part. qu. 19. art. 3. ad 5. vbi ait, *Cauſa quæ ex ſe eſt contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad voli-*

volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam. Et infrà, quæſt. 105. artic. 1. ad 3. *Hoc ipſum quod cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo.* Item 1. 2. quæſt. 10. artic. 4. *Quia voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa: ſic Deus ipſam mouet, quod non ex neceßitate ad vnum determinat, ſed remanet eius motus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter mouetur.*

IV. Suppono 4. Motiones de quibus agit Diuus Thomas locis ſuppoſitis 1. 2. & 3. citatis eſſe efficaces, vt ex eodem ſequitur primâ parte quæſt. 19. articulo 8. in corpore: *Cum igitur voluntas diuina ſit efficacißima, non ſolum ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.* 1. 2. quæſt. 10. artic. 4. ad 3. *Quod ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoßibile eſt poni quod voluntas ad illud non moueatur.* Cui conſonat illud eiuſdem quæſt. 3. de malo artic. 2. & quæſt. 6. artic. 1. ad 3. *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non poteſt*; vndè lib. 3. contrà Gentes cap. 89. docet *Deum facere nos velle hoc vel illud*, & in 2. ſent. diſtinct. 37. quæſt. 2. artic. docet *Deum influere agenti agere*. Denique quæſt. de malo artic. 3. in corp. *relinquitur ergò quod cauſa perficiens* (de qua ibidem antè dixerat, *& quæ propriè & verè cauſa dicitur, quia cauſa eſt ad*

 quam

quam ſequitur effectus : ad actionem autem perficientis ſtatim effectus ſequitur) & propria voluntarij actus ſit ſolum id, quod operatur interius ; hoc autem nihil aliud eſſe poteſt, quàm ipſa voluntas ſicut cauſa ſecunda, & Deus ſicut cauſa prima.

v. Suppono 5. Per præmotiones phyſicas ab earũ Authoribus intelligi virtutem creatæ voluntatis præmotiuam (in quocumque conſiſtat, præterquam in ſimultaneo Dei concurſu, de quo inter ipſos non ſatis conuenit) quam habere non ſit in poteſtate voluntatis creatæ, & habita eius poteſtati ſubiecta non ſit, & ad agendum neceſſariò prærequiratur, & acquiſita irreſiſtibiliter phyſicè ex ſe effectum inferat. His ſuppoſitis ſit.

RELVCTATIO.

vi. DIco. D. Thomas non agnouit præmotiones phyſicas ſiue virtutes creatæ voluntatis præmotiuas iuxtà expoſitionem ſuppoſito 5. factam, aut coincidentem.

vii. Probatur 1. Quia nuſquam D. Thomas vtitur verbo *præmotio*, *Deus præmouet*, *prædeterminat* &c. niſi de decretis diuinis agendo, inter quæ & præmotiones phyſicas, de quibus hîc agimus, præmotionum phyſicarum Authores, tantum diſcrimen ponunt, quantum eſt inter æternum ſimpliciter & temporaneum ſimpliciter, quorum primo, qualis in exiſtendo prioritas per ipſos, ta-

lis

lis in determinando, conuenire dici poteſt, ergo &c.

VIII. Probatur 2. Dum S. Th. de motionibus cauſarum ſecundarum à Deo loquitur, ſic intelligi debet, vt verum maneat, id quod alibi dicit; Primò, 1. part. quæſt. 82. art. 1. ad 3. *Sumus Domini noſtrorum actuum ſecundùm quod poſſumus hoc vel illud eligere*, & lib. 1. contrà Gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas ſuprà ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum*: Secundò, etiam 1. part. qu. 83. art. 1. ad 3. *dicendum, quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſeipſum mouet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quod ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa mouens & naturales cauſas & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis mouendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales, ità mouendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoq; ſecundùm eius proprietatem.* Tertiò, art. 2. quæſt. 83. iam citata in corpore. *Liberum autem arbitrium indifferenter ſe habet ad bene agendum vel malè.* Quartò, 1. 2. qu. 10. art. 1. ad 1. *Eſt autem alius modus cauſandi proprius voluntati, quæ eſt Domina ſui actus, præter modum qui conuenit naturæ, quæ eſt determinata ad*

vnum. Quintò, etiam 1. 2. qu. 10. art. 4. in corp. *Ad prouidentiam diuinam non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſeruare: vndè omnia mouet ſecundùm eorum conditionem, ità quod ex cauſis neceſſariis, per motionem diuinam conſequuntur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter mouetur.* Et. *Ad 1. ergò dicendum, quod voluntas diuina non ſolum ſe extendit, vt aliquid fiat per rem quam mouet, ſed vt etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipſius. Et ideò magis repugnaret diuinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moueretur, quod ſua naturæ non competit, quam ſi moueretur liberè prout competit ſuæ naturæ.* Sextò, qu. 22. de verit. art. 6. in corp. *Cum autem voluntas dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet, libertas voluntatis in tribus conſiderabitur. Scilicet quantum ad actum; in quantum poteſt velle, vel non velle, & quantum ad obiectum, in quantum poteſt velle hoc, vel illud, & eius oppoſitum, & quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum, vel malum: ſed quantum ad primum horum ineſt voluntati libertas, in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cuiuſlibet obiecti. Secundum verò horũ eſt reſpectu quorumdam obiectorum, ſcilicet reſpectu eorum quæ ſunt*

*ſinem, & nõ ipſius finis, & etiam ſecundùm quem-
et ſtatum naturæ.. Tertium verò non eſt reſpectu
nnium obiectorum : ſed quorumdam eorum, ſcilicet
æ ſunt ad finem, nec reſpectu cuiuſlibet ſtatus na-
ræ, ſed illius tantum in quo natura deficere poteſt.*
em lib. 3. contrà Gentes cap. 89. vbi docet
eum *facere nos velle hoc vel illud.* Et quæſt. 2. de
otent. art. 3. *Voluntas in quantum voluntas, cum
libera ad vtrumlibet ſe habet. Poteſt enim volun-
s agere vel non agere, ſic vel ſic facere, velle & non
lle.*

IX. Subſumo. Atqui iſta vera manere non poſ-
int ſi D. Thom. ibi, dum de motionibus cauſarum
ecundarum à Deo loquitur, loqui intelligatur de
ræmotionibus phyſicis ſuppoſito 5. explicatis
rgo &c. conſequentia eſt legitima: maior patet.

X. Probatur minor pro 1. parte: ſi nõ ſit in po-
eſtate noſtra habere præmotionem phyſicam quâ
num eligimus, & habita voluntati noſtræ ſub-
ecta non ſit, & ad agendum neceſſariò prærequi-
atur, & acquiſita irreſiſtibiliter phyſicè ex ſe
vnius electionem inferat, non apparet quomodo
in ſenſu compoſito voluntatis & prærequiſitorum
ad iſtam vnius electionem, ſimus Domini iſtius
electionis; contra illud D. Thomæ 1. part. qu. 28.
art. 1. ad 3. dicat: *Sumus enim Domini noſtrorum
actuum, ſecundũ quod poſſumus hoc vel illud eligere:*
ſicut enim nullus eſt rei ſibi donatæ Dominus, in
cuius poteſtate non eſt donationem habere, aut

 ab-

abijcere, ita nec vllus electionis Dominus eſſe poteſt, in cuius poteſtate non eſt donationem electionis ſiue præmotionem phyſicam ad illam, habere vel abijcere, ergò *&c.*

XI. Probatur minor pro 2. parte, ſi non ſit in poteſtate liberi arbitrij habere præmotionem phyſicam, quâ poſitâ voluntas ſeipſam moueat ad agendum, & habita poteſtati voluntatis ſubiecta non ſit, & ad agendum neceſſariò prærequiratur, & acquiſita irreſiſtibiliter phyſicè inferat effectum, non apparet quomodo voluntas in ſenſu compoſito iſtius phyſica præmotionis *ſeipſam moueat ad agendum*, & non potius præmotionem illam ſeipſam mouere, & voluntatem ab illa moueri: quod enim voluntas ſit in actu primo, & radicaliter potentia indifferens, planè impertinens eſt, ſi in ſenſu compoſito cum præmotione phyſica non ſit proximè activè indifferens, & activè ſui ipſius ad vtramlibet partem proximè determinatiua: deindè quærò an præmotio illa phyſica, quâ Deus voluntatem præmouet, ſit ſaltem vt quo cauſa activè libera, prout libera opponitur neceſſariæ? an neceſſaria vt opponitur activè liberæ? ſi primum, coniuncta cauſis naturalibus, vt v.g. habitui præcisè, quo mediante agit voluntas, conferet actibus earum eſſe formaliter liberum, & impediet ne per ordinem ad illas ſint naturales, prout ly naturale opponitur libero: ſi ſecundùm, non apparet quomodo coniuncta cau-

ſis

ſis voluntarijs ſeu liberis, conferat earum actibus eſſe voluntarium formaliter ſeu liberum, & non potius eſſe naturale ſeu neceſſarium, quæ ſunt contrà D. Thomam pro hac parte citatum, ergò *&c.*

XII. Probatur minor pro 3. parte, ſi non ſit in poteſtate liberi arbitrij habere præmotiones præ-requiſitas ad hoc, vt voluntas indifferenter ſe habeat ad benè eligendum vel malè, ſed quævis acquiſita irreſiſtibiliter phyſicè ex ſe electionē vnius inferat, non apparet, quomodo in ſenſu compoſito iſtius præmotionis, *liberum arbitrium indifferenter ſe habeat ad benè eligendum vel malè:* ergò *&c.*

XIII. Probatur minor pro 4. parte, ſi non ſit in poteſtate *&c.* oſtēdi non poterit, quomodo ſit alius modus cauſandi in ſenſu compoſito voluntatis & prærequiſitorum (quia non cauſat niſi in ſenſu compoſito) proprius voluntati, quæ eſt Domina ſui actus, præter modum qui conuenit naturæ, quæ eſt determinata ad vnum; nam ſicuti modus proprius cauſandi naturæ eſt cauſare per præmotionem phyſicam determinantem ad vnum, ità & voluntatis in ſententia iſta, ergò *&c.*

XIV. Probatur minor pro 5. parte, ſi non ſit in poteſtate *&c.* vt ſuprà, quomodò obſecro effectus ex cauſis contingentibus ſequuntur contingenter, & non ex neceſſitate, vti ex cauſis neceſſarijs? poſſuntnè fortè magis eſſe vel non eſſe (quòd importat ly contingenter) in ſenſu compoſito prære-

qui-

quiſitorum cum voluntate ad eſſe, effectus cauſarum contingentium, quam cauſarum neceſſariarum? quomodò, inquam, manet principij indifferenter ſe habentis ad multa motus contingens, & non neceſſarius? quandoquidem inter prærequiſita, quæ in ſenſu compoſito præſupponit, dicat præmotionem phyſicam, quæ ſit cauſa neceſſaria, nè alioqui debeat per aliam determinari, vt docet D. Thomas 1. p. quæſt. 19. art. 3. ad 5. vbi cum propoſuiſſet ſequens argumentum: *Ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt ait Commentator* 2. Phyſ. text. 48. *Si ergò voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad vtrumlibet, ſequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & ſic habet aliquam cauſam priorem.* Reſpondet: *Cauſa, quæ ex ſe eſt contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceßitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Et hæc iterum per aliam, & ſic in infinitum, ergò *&c.*

XV. Probatur minor pro 6. parte & ſequētibus, ex præmiſſis probationibus minoris pro alijs partibus ſufficienter, ergò *&c.*

XVI. Probatur 3. Si S. Th. alibi præmotionem phyſicam ſenſu dato ſuppoſito 5. agnoſceret, maximè eſſet vno ex allatis locis in quatuor primis ad Reluct. præſuppoſitis: ſed nullo ex illis eam agnoſcit ſenſu dato, ergò *&c.* maior eſt adverſariorum.

XVII. Probatur minor 1. Non vno ex citatis ſuppoſito 1. quia motio, quâ liberum arbitrium à Deo ad agendum mouetur, ſufficienter ſaluatur in actione, quæ ſimul eſt Dei tamquam cauſæ vniuerſalioris, & liberi arbitrij indiuiſibiliter; ſicut enim per illam liberum arbitrium ſe ipſum mouet, ita per illam à Deo mouetur; naturaliter quidem ſi effectus ſit naturæ proportionatus, ſupernaturaliter verò, ſi naturæ improportionatus, ergò *&c.*

XVIII. Dices tamen: motio de qua S. Thom. locis ſuppoſito 1. citatis agit, eſt motio qua Deus creaturã mouet, & non è contrà, ergò nõ eſt actio Dei & creaturæ ſimul indiuiſibiliter: probatur conſequentia, quia hæc actio non magis eſt motio, quâ Deus creaturam mouet, quam tractio quâ duo equi nauim trahunt, ſit alterutrius equi motio, ergò *&c.*

XIX. Reſp. Negando conſequentiam, ad eius probationẽ Reſp. eſſe diſparitatẽ, quod equorum iſtorum duæ ſint realiter diſtinctæ tractiones, nec tractio equi A. v. g. tamquam cauſæ vniuerſalis in equo B. recepta, prout actio Dei tamquam *&c.* in creatura recipitur, propter quod dicitur creatura à Deo moueri tamquam à cauſa vniuerſali.

XX. Inſtabis: Deus eſt author, cauſa prima & primus motor, in quem referri debet omnis actio, motio, forma, quantitas *&c.* ergò creaturam prius mouet (ac proindè præmouet) quam creatura ſe-

ip-

ipſam moueat : ergò non ideo dicitur creatura à Deo moueri, quia eius ſimul & Dei indiuiſibiliter actio in ipſa recipitur.

XXI. Reſp. 1. Negando conſequentiam, quia ad hoc vt Deus ſit prima cauſa alicuius, non requiritur vt creaturã aliquam prius moueat, niſi prioritate ſtatim explicãdâ, vt vel ex ipſa præmotione patet, cuius reſpectu, licet eam non præmoueat, tam eſt author, cauſa prima & primus motor, quã reſpectu omnium aliorũ entium; ſed ſufficit, quod aliam cauſam ſe priorem nõ ſupponat, prout Deus aliam non ſupponit: vndè rectè facultas Duacena Anthitheſium ſuarum num. 46. *Quod ſi voluntas humana actionem aliquã poſſet producere, cuius actor non eſſet Deus, voluntas humana rationem primi principij haberet, cuius eſt agere ſine auxilio prioris agẽtis.*

XXII. Reſp. 2. Diſtinguendo cõſequens, ergò creaturam prius mouet prioritate logicâ, ſiue ſubſiſtendi conſequentiâ, concedo conſequentiam; ſubſiſtit enim hæc conſequentia, *Agit creatura ergò Deus agit*, hæc verò non ſubſiſtit, *agit Deus ergò creatura agit*: prioritate phyſicâ & propriè dictâ, nego conſequentiam: vndè patet ad Ariſtot. 8. phyſ. Text. 33. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur:* item & ad D. Thomam quæſt. 3. de poten. art. 7. in corp. *Virtus inferior, non coniungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris: vndè dicitur in libris de Cauſis, quod virtus cauſæ primæ prius agat in cauſatum.*

Pro-

XXIII. Probatur minor 2. Non etiam vno ex citatis ſuppoſito 2. nam D. Th. ibi euidenter ſententiam noſtram confirmat, quia per applicationem virtutis aliud non intelligit, quam operationem virtutis, iuxta illud quod habet quæſt. 3. de potent. artic. 7. ad 3. *Dicendum quod in operatione, qua Deus operatur mouendo naturam, non operatur natura, ſed ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis diuinæ* (nota illud *etiam*, quo omninò confirmatur probatio 1. minoris ſtatim præmiſſa) *ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis, nec impeditur, quin natura & Deus ad idem operentur, propter ordinem qui eſt inter Deum & naturam*: ſed clariùs 1. 2. quæſt. 16. artic. 1. *Vſus alicuius rei nihil aliud eſt, quam applicatio illius ad aliquam operationem, vndè & operatio adquam applicamus rem aliquam, dicitur vſus rei, ſicut equitare eſt vſus equi, & percutere eſt vſus baculi.* Vel prout loco citato de potent. *Sicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipſum &c.* quid eſt applicare acumen cultelli ad incidendum mouendo ipſum, niſi incîdendo mouere ſeu incîdere? ſi verò D. Thomas alibi dicat, Deum inclinare voluntatem, vt quæſt. 3. de mal. artic. 3. in corp. proportionaliter loquitur, quia ibi ait, *Ab interiori autem mouetur voluntas, ſicut ab eo quod producit ipſum voluntatis actum.* Et infrà: *Actus voluntatis nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam vo-*

luntatis in volitum; ſicut & appetitus naturalis nihil aliud eſt, quam inclinatio naturæ ad aliquid: inclinatio autem naturæ eſt, & à forma naturali, & ab eo quod dedit formam. Et adhuc infrà: *Motus voluntatis directè procedit à voluntate & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa.* Si tamen aliam applicationem deſideres, per applicationem virtutis rectè etiam intelliges virtutem, vt ſub concurſu Dei in actu primo, ſiuè à Deo productam cum intentione concurrendi ad omnes illius actiones, ergò *&c.*

XXIV. Probatur minor 3. Non item vno ex allatis ſuppoſit. 3. quia *determinatio* ibi accipi debet vt *motio*, de qua iam ſatis, ergò *&c.*

XXV. Probatur minor 4. Non ex 1. loco ſuppoſit. 4. citato, quia imprimis dum D. Thomas 1. part. qu. 29. art. 8. ait, *voluntatem diuinam eſſe efficaciſſimam*, per hoc ſolum oſtendere vult, tantam eſſe diuinæ voluntatis efficaciam, vt non ideò præcisè aliqui eius effectus ſint neceſſarij, *Quia ea quæ producit per cauſas neceſſarias ſunt neceſſaria*: & alij ideò præcisè ſint contingentes, *quia ea quæ producit per cauſas contingẽtes ſunt contingentia*: ſed quia *quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt: quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant.* Quomodo aptauit? niſi eo modo quo mouit, applicauit, inclinauit, determinauit ſimul agendo, vt antè diximus, vbi nul-

nulla eſt mentio præmotionis phyſicæ, ſed ſolius aptationis, quæ creaturam, prout in ſe eſt, neceſſariam aut actiuè indifferentem relinquit, propter quod S. Thomas meritò ſubdit: *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſa proxima ſunt contingentes, ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos præparauit*, puta agendo cum illis, vt patet ex dictis probat. 3. minoris, ergò *&c.*

XXVI. Dices: Si per ly *aptauit, præparauit* &c. idem intelligatur quod *ſimul egit*, S. Th. ſibi contradicit, quia eius quod dicit, *non igitur propterea effectus voliti à Deo* &c. vt paulò antè citatum eſt, hic eſſet ſenſus, non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes, ſiue quia ea, quæ producit per cauſas contingentes, ſunt contingentia; ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire, eos per cauſas contingentes produxit. In eo autem videtur D. Thomas contradictoria loqui; ergò *&c.*

XXVII. Reſp. Ibi nullam eſſe contradictionem, quia cauſalis 1. eſt valde diuerſa à 2. nam prima efficaciam diuinæ voluntatis creaturæ ſubmittit, quam ſecunda ei præmittit, & per hoc eam commendat, vbi alia deprimit.

XXVIII. Probatur minor 5. Non etiam ex 2. loco ſuppoſit. 4. citato, quia vt patet ex probat. 2. minoris, actio, ad quam ſequitur effectus, eſt actus

voluntatis directè procedens à voluntate & Deo, *ſi vero Deus mouet voluntatem ad aliquid* per actionem, quæ ſit actus voluntatis directè procedens à voluntate & Deo, *impoſsibile eſt*, vt patet, *quod voluntas ad illud non moueatur*: ergò &c.

XXIX. Probatur minor 6. Non denique ex 3. 4.5. loco *&c.* ſuppoſito 4. citatis: quia iſtis in locis S. Thomas ſolum intendit oſtendere Deum facere vt faciamus, facere nos velle hoc vel illud, influere agenti agere *&c.* prout id conuenit cauſæ primæ ſiue vniuerſali, tã ipſius operationis, quam potentiæ; ad hoc autem ſufficit quod illud ipſum, quo facimus, volumus, agimus *&c.* in nobis faciat; ſicut ad hoc vt faciat nos poſſe facere, poſſe velle, poſſe agere *&c.* ſufficit quod in nobis faciat poſſe, ſiue potentiam: illo enim præcisè poſito habemus quod faciamus, velimus & agamus: & illo præcisè ablato, tollitur quod faciamus, velimus & agamus: vt autem Deus faciat illud ipſum quo facimus, volumus & agimus, non magis phyſicè debet nos pręmouere, quã nos ipſum præmouere debeamus, vt illud ipſum faciamus, quod Deus nobiſcum facit, vult & agit, ergò *&c.*

XXX. Probatur 4. Reluctatio: vel dicendum S. Th. præmotiones iſtas phyſicas pro omni ſtatu naturæ integræ & lapſæ non agnouiſſe, vel apertè receſſiſſe ab Auguſtino, qui ferè vbique, & nominatim de Correp. & grat. (omnium Operum eius ferè nouiſsimo) cap. 10. 11. & 12. vbi di-

diuidit auxilium gratiæ in auxilium, *ſine quo non aliquid fit*, & auxilium *quo aliquid fit*, tamquam in membra valde diuerſa, ſiue tamquam in auxilium noſtro libero arbitrio ſubiectum, & in aliud eidem non ſubiectum; ſiue tamquam in auxilum quo poteſt voluntas pro libitu vti vel non vti, & in aliud quo non niſi vtitur voluntas; illudque naturæ integrę concedit, hoc verò naturæ vt lapſæ, quæ capita citata legenti ſtatim patebũt: atqui hoc vltimũ Diuo Thomæ citrà iniuriam irrogari non poteſt, ergò primum dici debet.

XXXI. Probatur 4. Præmotio phyſica eſt ſubiecta voluntati, vel non? ſi primum, non apparet, qua ratione ſit phyſica aut phyſicè infallibiliter antecedenter præmouens: ſi ſecundum, nulla erit diſtinctio inter hominem rectum (ad quem præmotores eam extendunt) & hominem lapſum, ſiue inter gratiam hominis recti & hominis lapſi, quod Pelagianiſmum ſapit; imo inde ſequitur præcepta Dei eſſe ſeruatu impoſſibilia omnibus illis, qui ea non ſeruant, & proinde peccare in eo, quod caueri non poteſt, contrà Auguſtinum de natura & gratia cap. 43. *Non igitur Deus impoßibilia iubet, ſed iubendo admonet & facere quod poßis, & petere quod non poßis*, & de lib. arbit. lib. 3. cap. 18. *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? peccatur autem, caueri igitur poteſt.* lib. de fide contrà Manichęum. *Quis non clamet, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui libe-*

rum non eſt, quod præcipitur facere? & iniquum eſſe damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ &c. lib. de duabus animabus cap. 11. 12. *Nemo peccat in eo quod vitare non potuit.* & denique de vera Rel. c. 14. *Deus nihil præcipit homini impoſſibile.* Item contra Trid. Seſſ.6. c.11. *Nemo debet temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adiuuat, vt poſſis.* Vnde meritò Pius V. & Gregor. XIII. hunc articulum damnant: *Definitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe falsò tribuitur Auguſtino, cum ſit Pelagij.*

XXXII. Dices ex Doctore quodam Pariſienſi lib. de *Initio piæ volunt.* cap. 10. ad hoc vt Deus homini impoſſibilia non iubeat, non requiritur vt proximè potenti, & iam inſtructo gratia ad faciendum ſufficienti iubeat, ſed ſatis eſt quod iubeat potenti per gratiam, quam concedere poteſt, iuxta illud Auguſtini de Spirit. lit. cap. 34. *Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt; fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei: eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent*

rent animum, vt quidquid aliud voluptas ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret. quod vt non ſit, non ad impoßibilitatem, ſed ad iudicium Dei pertinet. quis enim neſciat, non eſſe in hominis poteſtate quid ſciat, nec eſſe conſequens, vt quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt: hoc autem ſanitas eſt animæ. & lib. 2. de peccat. meria. cap. 6. *His atque alijs innumerabilibus teſtimonijs dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoßibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impoßibile aliquid eſſe: ac per hoc, poteſt homo ſi velit eſſe ſine peccato, adiutus à Deo*, ſi velit inquit, *quia* vt dicitur in lib. de perfect. iuſtitiæ, *non poteſt eſſe ſine peccato, etiamſi velit, niſi adiuuet gratia.* Concordat Aurel. Auitus Diſſ. 21. ſibi obiectans. Quomodo, inquiunt, *Deus impoſſibilia, non iubet,* ſi gratiam ad parendum neceſſariam non omnibus vbique ſubminiſtrat? *Reſpondemus*, ait facultas Theologica Louanienſis in iuſtificatione ſuæ Cenſuræ. num. 177. & ſequentibus, *Vt homo poſſit conuerti, non requiri, vt habeat gratiam ſufficientem, eo ipſo tempore quo poſſe dicitur; ſed ſatis eſſe, ſi habere illam & obtinere, quæ ſufficiat, poſſit: quomodo homo dicitur, poſſe manducare panem, etiam cum panem non habet, neque etiam quidquam, vnde ſibi panem comparet* &c.

XXXIII. Cõfirmabis ex eodem Auito Doctore, quam procul à Synodi ſcopo aberrant, qui

dictam clauſulam Tridentini *adiuuat vt poſſis* valere autumant ad probandum, dari omnibus adiutorium gratiæ, quo poſſint obtemperare diuinis iuſſis: ſic enim Synodus euerteret, quod proximè præmiſerat *petere quod non poſſis*, ergò *&c.*

XXXIV. Reſp. 1. Negando aſſumptum. Alioqui 1. caſu quo Deus homini dormienti naturalia aut ſupernaturalia præciperet, hæc tranſgrediendo actualiter peccaret, quia ſatis eſſet quod præciperet potenti per vigiliam, quam excitare poteſt: 2. caſu quo omnia ad liberè agendum prærequiſita, & inter ea vel ipſam voluntatem (quia eadem ratio omnium ac vnius è neceſſariò prærequiſitis) tollerentur, & Deus aliquid præciperet, adhuc tranſgreſſione actualiter peccaretur, quia Deus præciperet potenti per prærequiſita, quæ reſtituere poteſt: hæc autem ſunt abſurda. Et ſicut illis caſibus homo vno vel omnibus ad liberè agendum prærequiſitis priuatus, vix aut ne vix quidem à brutis in ratione agentis diſtingueretur (nam ſi talis naturæ agens produceretur, agens liberum etiam à Doctore iſto non diceretur) vix, aut ne vix quidem video cur à tali agente, potius quã à brutis, in caſu præcepti facti, illud tranſgrediendo actualiter peccaretur. Quod autem ex iſto alio Doctore additur, nil conuincit, quia licet homo dicatur poſſe manducare panem, etiam cum panem non habet *&c.* non tamen rectè dicitur poſſe mandata ſeruare,

con-

conuerti *&c.* ſi gratiam ad illa ſufficientem non habet: & ratio diſparitatis eſt: quod panis non ſit inadæquata potentia ad manducandum, vti nec lux inadæquata potentia ad videndum; gratia vero ſufficiens ſit inadæquata potentia ad ſeruandum præcepta, conuertendum *&c.* numquid fortè (præterquam quod expreſsè Aug. de correp. & gra. cap. 12. *nam ſine alimentis non poſſumus viuere*) poteſt anima noſtra non coniuncta corpori panem manducare, lucem videre? numquid ſimiliter rectè diceret Pelagius nos poſſe ſaluari, etiam cum gratiam non habemus, neque etiam quidquam, vnde nobis gratiam comparemus, ac proinde poſſe operari prout oportet, poſſe ſaluari *&c.* rectè *in natura noſtra* poni? quod toto libro de gratia Chriſti in Pelagium repræhendit Auguſtinus, & citatim de natura & gratia cap. 43. *voluntate quidem non eſt homo iuſtus, nec naturâ poteſt; ſed medicinâ poterit, quod vitio non poteſt.* Quare, vir doctiſſime, in te, in me autem minimè, cadere videtur illud Auguſtini, *ſic declinet Manichæum, ne ſe inclinet in Pelagium.* Lib. 4. ad Bonif. cap. 7. deinde ex illa ſententia ſequitur beatos peccare poſſe ſub beatitudine ſupernaturali, ſicut nos per ipsū bene operari poſſumus & ſaluari ſub priuatione gratiæ, quia illa non magis impedit poſſe peccare, quam hæc priuatio poſſe benè operari & ſaluari; conſequens autem eſt contra Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap.

 vlt.

vlt. vbi de beatis ait, *nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt* &c. & Enchir. cap. 105. *erit homo ſic, vt velle malum non poſsit*, &c.

XXXV. Reſp. 2. Doctorem iſtum mirum in modum in Auguſtino decipi, quia Auguſtinus lib. de Spirit. & lit. cap. 34. quod pro ſe citat, non docet ad hoc vt Deus impoſſibilia non iubeat, ſufficere quod iubeat potenti per gratiam, quam concedere poteſt; quam tamen ille, cui iubet, ſtante obligatione præcepti non habeat, quia dum ait: *Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia, & tamen impoſsibilis non eſt; fieret enim ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei* &c. Docet perfectæ iuſtitiæ omnes actus collectiuè ſumptos, *non eſſe niſi tanta voluntas adhibeatur, quanta ſufficit tantæ rei* &c. id eſt, non eſſe, niſi gratia medicinalis & ſanitatis reſtitutiua cõcedatur, & tamen non eſſe impoſſibiles abſolutè, quia abſolutè concedi poteſt; quo ſenſu ſubdit. *quod vt non ſit*, id eſt, quod vt gratia iſta non concedatur, *non ad impoſsibilitatem*, puta abſolutam; *ſed ad iudicium Dei pertinet*: Hoc autem non eſt, illos non eſſe impoſſibiles creaturæ in ſtatu præcisè in quo eſt ſine gratia, ſed illos non eſſe impoſſibiles à Deo concedi per gratiam, quam Deus concedere poteſt, quam tamen non concedit; alioqui præcisè per negationem gratiæ, quam ſtatus ille includit,

im-

impoſſibiles non eſſent, ac proindè poſſibiles eſſent per naturam ſine gratia, quod pluſquam Pelagianum eſt: Auguſtinum autem & Tridentinum velle præcepta non eſſe impoſſibilia homini per ſtatum præcisè in quo eſt, dum imponuntur, ſequitur, tum ex dictis Reſponſ. 1. tum ex varijs alijs abſurdis, quę indè ſequerentur; dicerem enim non eſſe mihi impoſſibile creare alium mundum; corpore & anima in cælum volare; mundum anihilare *&c.* quia, ſicut ad hoc vt præcepta non ſint mihi impoſſibilia, per ipſum ſufficit, quod per alium ſtatum ea adimplere poſſim, licet per hunc præcisè non poſſim; ſimiliter ſufficiet quod per alium ſtatũ, in quo eſſem per Dei potentiam ſuper vires præſentes eleuatus, iſta poſſim, licet per hunc non poſſim: quia tamen ſtatus in quo eſt homo, dum præcepta illum obligant, inuoluit gratiam, addunt Auguſtinus, *poteſt homo ſi velit eſſe ſine peccato, adiutus à Deo: non poteſt homo eſſe ſine peccato etiamſi velit, niſi adiutus à Deo*, & Trid. Seſſ. 6. cap. 11. *quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt.* vt opponant ſe eorum erroribus, qui dicunt per naturam puram poſſe omnia Dei præcepta ſeruari. Si autem petas quomodo fieri poſſit vt nullus homo ſecundum præſentem ſtatum præcisè ſit in perfecta iuſtitia & ſinè peccato viuat, & tamen per me Dei præceptum, vt homo ſit in perfecta iuſtitia & ſinè peccato, ſit homini ſecundum ſtatum in quo eſt præcisè, impo-

ſitum, ſecundùm quem dico omne præceptum eſſe ſeruatu poſſibile. Reſpondeo non eſſe præceptum vt homo ſit in omni actu iuſtitiæ collectiuè ſumpto abſolutè, quomodo dicit Auguſtinus ſupra, *ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia* &c. *fieret* tamen *ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei*. Sed hoc ſenſu vt homo ſit in omni actu iuſtitiæ diſtributiuè ſumpto, & in nullo iniuſtitiæ, ad quod, ſecundũ præſentem ſtatum in quo eſt, dum præceptum imponitur, habet gratiam ſufficientem; ſi vlterius quæras cur vni tanta iſta voluntas, ſiue gratia Chriſti ſuperabundans & efficax adhibeatur, alteri non? ad Ratiocinationem 9. Cœleſtij reſpondendo reſpondet Auguſtinus. *Per arbitrij libertatem factum, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceßitatem. Vnde ad Deum fides clamat: de neceßitatibus meis educ me: ſub quibus poſiti vel non poſſumus, quod volumus, intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere: nam & ipſa libertas credentibus à liberatore promittitur; ſi vos, inquit, filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: victâ enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia ſcriptura dicit; à quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Sicut ergò non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus; ità non eſt opus liberis liberator, ſed ſeruis, vt ei dicat, gratulatio libertatis, ſaluaſti de neceßitatibus animam*

uiam meam. Et iterum. *Reſpondetur*, idem inquit Auguſtinus ad Rat. 13. *ideò eſſe culpam hominis, quod non eſt ſinè peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, vt ad iſtam neceßitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poßit.* Adde duas noſtras Reſponſiones probare quidem allatas Auguſtini, Tridentini *&c.* authoritates conuincere præcepta Dei non eſſe impoſſibilia per gratiam, ſed aliud prætereà, videlicet gratiam omnibus adeſſe, quâ ea poſſibilia fiant, licet id ſinè vlla ratione & periculosè admodum Doctor ille Pariſienſis poſt alios neget, vnde

Ad Confirmationem.

XXXVI. Reſp. Negando aſſumptum; nec propterea Synodus euertit, quod proximè præmiſit, *& petere quod non poſsis.* Quia præterquam quod ly *& petere*, idem adiutorium gratiæ præſupponat, quod ly *& facere* præſupponit, ſequitur manifeſtè ly *quod non poſsis* eſſe aliquid diſtinctum, ab eo, ad quod terminatur ly *& adiuuat vt poſsis.* Quod ſic explico, *Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſsis*, quoad omnes diſtributiuè actus iuſtitiæ præceptos, etſi non perſeueranter, non prout oportet vt ſalutem aliquando conſequaris &c. *& petere quod non poſsis*, quoad omnes illos collectiuè ſumptos, perſeuerãter, & prout oportet vt ſalutem aliquãdo conſequaris &c. ſubde, niſi per gratiam Chriſti medicinalem, homo *medicina poterit, quod vitio*

non poteſt, inquit Auguſt. de nat. & grat. cap. 43. gratia autem Chriſti, ſi adæquata fuerit iuxta alibi probanda, eſt ad omnes iſtos actus collectiue *&c.* & ſolis prædeſtinatis conceſſa, *ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Id ipſum eſt* (inquit Auguſt. lib. 14. de Ciuit. c. 11.) *ſi vos filius ſaluos fecerit tunc verè ſalui eritis, indè quippe liberator, vndè ſaluator.* Et de prædeſt. SS. cap. 10. *Si quæratur, vndè quiſque ſit dignus* &c. *nos autem dicimus gratia vel prædeſtinatione diuina: inter gratiam porrò* (nota) *& prædeſtinationem, hoc tantum intereſt* (audis) *quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia vero iam ipſa donatio.* Item per lỿ *petere quod non poßis* intelligi quoad omnes actus *&c.* perſeueranter, etiam patet ex eodem de dono perſeu. cap. 19. vbi docet cum Cypriano per orationem Dominicam, *pro perſeuerantia vſque in finem* &c. *Eccleſiam Chriſti quotidiè orare.* Gratia vero, quæ dat poſſe quoad omnes iuſtitiæ actus diſtributiue ſumptos, non perſeueranter, non prout oportet vt ſalutem aliquando conſequaris &c. communis eſt prædeſtinatis & non prædeſtinatis; nec, non prædeſtinatis (non enim pro omnibus efficaciter mortuus eſt Chriſtus, vt continuo Auguſtinus) ex meritis Chriſti aliter quàm ſufficienter applicatis confertur, ſed ex Adamo manſit adultis debita ex hipotheſi, quod Deus velit illos, præcepta non ſeruando, peccare. Vndè patet Tridentinum non euer-

tere

tere quod proximè præmiſit, *& petere quod non poſſu*: item nec nos fruſtra orare, licet hanc gratiam ſufficientem habeamus.

XXXVII. Probatur 5. Vel Deus liberam voluntatem per præmotionem phyſicam (hac gratis conceſſa) ex neceſſitate ad vnum determinat, vel non?

XXXVIII. Non primum; quia S. Thomas 1.2.quæſt. 10.artic.4. expreſsè cõtrarium docet. *Quia voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet quod non ex neceſſitate* (nota) *ad vnum determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter mouetur.* & lib. 3. contrà Gentes cap. 90. *& Damaſcenus Gregorium Nyſſenum ſequens dicit in 2. lib. Orthod. fidei cap. 30. quod ea, quæ ſunt in nobis, Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat, exponenda ſunt, vt intelligantur ea, quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubiecta, quaſi ab eâ neceßitatem accipientia.* Item quæſt. 6. de mal. artic. vnico in corp. vbi iſtam opinionem hæreticam & philiſophiæ extraneam vocat, inquiens, *Reſp. dicendum quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceßitate moueatur ad aliquid eligendum* (cum quo ſtat quod ex neceſſitate moueatur ad ea, quæ non ſunt ex electione, ſed ex naturali propenſione voluntatis) *nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur* &c.

non

non addimus ſequentia eorũ verba, *non enim omne neceſſarium eſt violentium : ſed ſolum id cuius principium eſt extra. Vndè & motus naturales inueniuntur aliqui neceſſarij ; non tamen violenti, violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario, quia vtriuſque principium eſt intra, violenti autem principium eſt extra.* Quæ D. Thomas interſerit : quia ſunt tantum inſerta ad probandum voluntatem poſſe ex neceſſitate moueri ad aliquid eligendum, & tamen, non cogi, ad quod ; diſſimulatâ probatione iſtâ (quæ, licet vera ſit, id non probat, quia motus primo primi; quos eis eſſe neceſſarios, & non violentos concedimus, non ſunt, eo quod deliberati non ſint, *ad aliquid eligendum* ; quia eligere eſt actus dominij, *Sumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc vel illud eligere.* D. Thom. 1.p.q.82. art. 1. ad cum. *ex hoc autem contingit, quod homo ſit Dominus ſui actus, quod habeat deliberationem de ſuis actibus. ex hoc enim quod ratio deliberans ſe habeat ad oppoſita, voluntas in vtrumque poteſt.* 12. q.6.art.2. ad 2.) Reſpondet Angelicus Doctor : *Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. eſt etiam annumeranda inter extraneas philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubuertit omnia principia philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in*

no-

nobis, ſed ex neceſsitate mouemur ad volendum eligibilia, *tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis philoſophia conſiſtit.* Vndè Aurelius Auitus Diſſon. 18. fruſtrà nititur authoritatis iſtius vim eneruare, dicendo D. Thomam loqui ſignatè de neceſſitate tali, qualis reperitur in *motibus naturalibus*, quales ſunt quos apellamus *primo primos*, id enim mihi omnino falſum eſt, quia ex inſertis intra parentheſim contrarium patet, & eum, vti & opinionis, quam reijcit, Authores loqui de neceſſitate motuum ad eligendum, claret.

XXXIX. Neque ſecundū, quia ſemel dato quod Deus (vt Thomiſtæ docēt) æquè ad actiones liberas neceſſarias præmoueat, ac ad liberas cōtingentes, etiam S. Thomas expreſsè contrarium docet 1. part. quæſt. 82. art. 1. in corp. *Sicut intellectus ex neceſsitate inhæret primis principijs, ita voluntas ex neceſsitate* (nota) *inhæret vltimo fini, qui eſt beatitudo.* Voluntatem autem ibi ſumi pro voluntate libera, patet ex his quæ ad 1. habet, *neceſsitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis.* & lib. 3. contra Gentes cap. 138. *eſt autem quædam neceſsitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuoſi actus non minuit, ſed auget.* Adhuc tamen clarius quæſt. 10. de malo. art. 2. ad 5. *Dicendum quod naturalis neceßitas ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceßitate velle dicitur vt fœlicitatem, libertati voluntatis non repu-*

pugnat, vt Auguſtinus docet in lib. 5. de Ciuit.

XL. Dices, Cathechiſmus Romanus ex decreto Concilij Tridentini iuſſu Pij V. editus 1. part. de 1. Symboli artic. numero 2. ſic habet; *Non ſolum autem Deus vniuerſa quæ ſunt, prouidentia ſua tuetur atque adminiſtrat, verum etiam quæ mouentur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem impellit, vt quamuis cauſarum ſecundarum efficaciam non impediat, praueniat tamen, cum eius occultiſsima vis ad ſingula pertineat,* ergò *&c.*

XLI. Reſp. 1. Negari non poſſe, illud non eſſe tamquam fidei dogma receptum, ſed tamquam priuati Doctoris vt ſummum, conſequenter ad Thomiſtarum non ſatis rectam D. Thomæ intelligentiam, vt contendimus.

XLI. Reſp. 2. Cathechiſmum ibi aliud non velle, quam Deum non ſolum eſſe primũ omninm cauſarum authorem; ſed etiam omnium actionum earum: vti autem debet verbo *impellit, præueniat*, ad ſenſum quo D. Thomas locis ſuprà citatis vtitur verbis *applicat, inclinat* &c. quæ præmotionem iſtam phyſicam, contrà quam hîc diſputamus, non important, vt vidimus; alioqui ſi verbis iſtis alio ſenſu vteretur meritò illi opponeretur illud Proſp. ad Capit. Gal. lib. 1. Obiect. 12. *Deus iniuſtè punit, quod vt fiat, impellit.*

XLII. Reſp. 3. Per ly *intima virtute ad actionem impellit*, & *intima virtute ad actionem*

præ-

prauenit, ſolum intendi, quod Deus ſuâ ſummè dominante potentiâ intus mediante ſuâ ſimultanea actione pellat ſeu moueat, & quod ſic in actionem illam veniat, vt tamen eius ſummè dominans potẽtia prior ſit efficaciâ ſeu virtute cauſarum ſecundarum, & hoc ſenſu illarum actionem *praueniat.* Niſi malis adhibere ſolutionem datam ad inſtantiam. Chyſ. XVIII. factam.

XLIII. Probatur 6. Diuus Thomas docuit Deum aliter eſſe cauſam bonorum actuum quoad perfectionem, aliter malorum (præſertim intrinſecè & à Deo indiſpenſabiliter, vt aiunt, malorum) quoad defectum: ergò præmotiones phyſicas, de quibus antè, non agnouit: aſſumptum patet ex eodem in 2. diſtinct. 37. quæſt. 2. artic. 2. vbi ad Obiectionem 3. *Quod Deus eodem modo dicendus eſſet actor malarum actionum, ſicut & Actor bonarum*, reſpondet, *ad tertium dicendum, quod Deus dicitur cauſa bonarum operationum, non ſolum quantum ad eſſentiam actus, ſed etiam quantum ad perfectionem, ſecundùm quam bona dicuntur; vtrumq; enim agenti influit, & vt agat, & vt benè agat; ſed in malis actionibus, quamuis ſit cauſa earum quantum ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantum ad defectum, & ideo abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.* Oppoſitumque damnatur in Trid. Seſſ. 6. Can. 6. *Siquis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, vt bona, Deum*

ope-

operari, non permiſſiuè ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit.

XLIV. Probatur conſequentia aſſumpti primo alioqui ſi illas agnouit, & ſecundùm ipſum Deus phyſicè præmoueat ad dictos actus malos, & ad actus bonos, Deus non eſt aliter cauſa bonorum, aliter cauſa malorum actuum, ergò *&c.* probatur ſequela primo, quia ſicut non poteſt Deus potiori iure eſſe cauſa bonorum actuum quoad perfectionem, ſic, vt creaturæ ſint concauſæ illorum; quam cauſas creatas ad illos phyſicè prædeterminando; ita cauſa malorum actuum quoad defectum, potiori iure eſſe non poteſt, ſic, vt creaturæ ſint concauſæ illorum, quam cauſas creatas ad illos phyſicè prædeterminando; ſiquidem ſicut ad illos phyſicè prædeterminãdo, prædeterminat ad omne id, quod ad ipſos ſpectat, ità ad hos phyſicè prædeterminando prædeterminat ad id omne, quod ad hos ſpectat; vnde ſi propter illud Deo bonorum actuum perfectio merito tribuatur, tribuetur & merito propter hoc ipſi malorum actuum defectus, quod eſt hæreticum, ergò *&c.*

XLV. Probatur conſequentia aſſumpti 2. quia dato quod Deus iure ſupremi dominij, non obligetur ad creaturas prædeterminandum ad dictos actus malos; ſi ad illos creaturas liberè phyſicè prædeterminaret, haud minus eſſet auctor pec-

peccati, quam ſi daret conſilium aut præceptum ad odium aut periurium prohibitum; vel etiam quam eſſet creatura, ſi alteri tales actus malos ſuaderet: imò magis eſſet auctor peccati prædeterminando phyſicè creaturam ad tales actus, quam ipſe aut creatura eſſet, tales actus ſuadendo, quia hoc modo non phyſicè, ſed moraliter tantum prædeterminaret: atqui Deus iure ſupremi dominij, aut alio quouis titulo, non obligatur ad creaturas prædeterminandum, quia ſupremi dominij ius nihil præter concurſum ſimultaneum exigit, ergò *&c.*

XLVI. Probatur conſequentia aſſumpti 3. quia ſi Deus ex ſe & non determinatus à creatura ad totum materiale peccati intrinſecè mali creaturas phyſicè prædeterminet, non eſt cur eas prædeterminare non poſſit ad totum materiale reuelationis ſcripturæ falſæ, falſorumque fidei decretorum, & cum aliundè conſtare non poſſit ad hoc materiale reuelationis creaturas non determinari (nam plures ad mortale præmouit phyſicè, vt docent illi contra quos agimus, propter quod pænis illos addixit æternis, quod longè, ſeuerius eſt) omninò nutabit fides noſtra, quod hæreticum eſt, ergò *&c.* probatur ſequela maioris, quia totum, quod obſtare poteſt, eſt, quod Deus veraciſſimus in rebus fidei creaturas ſuas decipere non poſſit, & eas in errores tam perniciosos inducere; ſed hoc per te obſtare nō poteſt, ergò *&c.*

probatur hæc minor, quia dicam Deum prædeterminare ad deceptiones & inductiones iſtas pernicioſas, eo modo, quo per te prædeterminat ad omne materiale peccati intrinſecè mali; ſi enim per te hoc poſſit, licet optimus, abſque eo quod ſit author peccati; quid ni & illud poterit, licet veraciſſimus, abſque eo quod ſit aut hor deceptionum iſtarum pernicioſarum, ergò *&c.*

XLVII. Dices hoc argumentum præmotores non vrgere, quia eamdem vim habet in permiſſionem iſtarum deceptionum à Deo, quam in præmotionem ad eas phyſicam, ergo *&c.*

XLVIII. Reſp. Negando aſſumptum, quia licet fortè Deus in pœnam peccati originalis ſimiles deceptiones permittere potuerit, non tamen ex ſe non determinatus à voluntate ipſius peccantis, ad eas prædeterminare poteſt; quia alioqui, ſi ex ſe ad eas determinaret, eſſet author peccati, vtpote ex ſe, & non ab alio, ad ſimiles deceptiones & mendacia determinatus; non vero, ſi eas ex antecedenti pacto in pœnam peccati originalis vellet, & multo minus ſi eas in talem pœnam permitteret, ſed de his alibi. Deindè longè aliud eſt *permittere*, vbi non eſt impediendi obligatio, prout in Deo non eſt quoad peccata, quam *phyſicè præmouere*; nam 1. vti hoc fortius phyſicè & moraliter ad peccatum concurrit, quam ſuadere & conſulere, ratione quorum de peccato participaret; 2. vti permittere *&c.* minus forti-

ter

ter phyſicè & moraliter ad peccatum concurrit, quam phyſicè præmouere, quam ſuadere, conſulere *&c.* ita minus Deum authorem peccati facit, quam præmouere phyſicè, ſuadere aut conſuler e; imo ly *permittere*, dum peccata hominum impedire non tenetur, Deum culpare non poſſe, aut authorem peccati facere, manifeſtum eſt, & conſequenter inter vtrumque diſparitas.

XLIX. Probatur conſequentia aſſumpti 4. ſi Deus phyſicè ad omnem actum præmotione phyſica, ſenſu paulo antè dato, præmoueat, ſequitur omnem legem, præſertim pœnalem, & omnis legis legiſlatorem meritò rideri; quia pœnè temporales ſaltem ciuiles, non imponuntur propter formale peccati tranſgreſſionis, ſed ob materiale, ad quod ſi Deus phyſicè prædetermi net, quis Deum non rideat & legiſlatores ciuiles ob materiale peccati pœnas iuxta legem ſuam nfligentes? nunquid, dum Deus legem inferiorum approbans dicit, *ſub pœna capitis non occides*, ſi te prædeterminet phyſicè ad materiale homicidij, virtualiter dicit, quia te prædetermino phyſicè ad materiale homicidij, phyſicè prædeterminabo Iudices, ut te capite minuant? quis hoc non rideat? deindè quis Deo clamanti: *Venite ad me, conuertimini ad me* &c. meritò non reſpondeat, quid clamas, *venite, conuertimini* &c. tu impedis, aliò nos conuertis, ad aliud nos phyſicè prædeterminas, & ad materiale aliorum actuum ineui-

tabiliter, & cum illis incompatibiliter impellis vnde merito Tertull. in Exhortatione ad Caſtitatem cap. 2. *Excuſabitur omne delictum, ſi continuerimus, hoc eſt, ſi nobis perſuadeamus, nil fieri à nobis ſine Dei voluntate.* & Fulg. ad Monim. lib. 1. cap. 26. *Quando autem peccanti ſeruo iram iuſtus Dominus intuliſſet, ſi ſeruus ex Domini prædeſtinatione peccaſſet?* Proſper. ad c. Gal. l. 1. obt. 12. *iniuſte punit, quod vt fiat impellit*, ergò *&c.*

L. Dices quatuor illas conſequentiæ aſſumpti probationes rectè retorqueri in Dei in prædeterminationem ad indiuiduum materiale peccati, quæ in communi & omnium ferè ſententia à Deo neceſſariò eſſe debet, ergò *&c.*

LI. Reſp. Negando antecedẽs, quia iſtius prędeterminationis ad indiuiduum materiale peccati nobis eadem ratio eſt, ac præmotionis phyſicæ ad materiale peccati & peccatũ: & de illa eodem modo loquendum putamus: quia, licet Deus, vtpotè abſolutus omnium omninò creaturarum Dominus, concurrere debeat ad materiale omnis peccati, & pręcisè concurrendo nihil contrà ſuam bonitatem faciat; quià tamen manet abſolutus omnium omninò creaturarum Dominus, licet ad indiuiduum materiale peccati, etiam ſub diſiunctione, non prædeterminet, ſed ad illud à creatura determinatus concurrat, ad illud nequidem ſub diſiunctione creaturam prædeterminat: An verò ad illud ſub diſiunctione hac, *vt iſtud po-*

ponatur, vel nullum ponatur, ſic determinare poſſit, præterquã quod determinatio phyſica ad actum, per te non ſtet cum non actu, ac proinde indè auxilium petere non poſſis; mihi veriſimilius eſt, quod Deus nequidem ſub iſta diſiunctione ad indiuiduum materiale peccati determinare poſſit, quia ſicut haud ſecus quam homo, non poteſt indiuiduum materiale peccati ſub illa diſiunctione ſuadere, vt fiat conſulere *&c.* ſic vt ſi ponatur, illud, eo modo quo creatura, ſuaſerit, conſuluerit *&c.* ita non poteſt ſub illa diſiunctione ad illud determinare, ſic vt ſi ponatur, ad illud determinarit, quia plus eſt hoc modo determinare, vtpotè cauſæ efficientis, quam hoc modo ſuadere, vtpotè cauſæ moralis dumtaxat, de quo alibi fusè.

L I I. Inſtabis, creaturæ, vnum indiuiduorum poſſibilium quod eligãt, præ alio nõ cognoſcunt, ergò debent ad indiuiduum materiale vnius præ alio à Deo prędeterminari, ſaltẽ ſub diſiunctione.

L I I I. Reſp. Negando conſequentiam, quia ad hoc nulla requiritur præcognitio, ſed ſufficit creaturam eſſe determinatam ex ſe ad certam indiuiduorum in his & illis circumſtantijs ſucceſſiuè ponendorum ſeriem, ſecundùm quam de facto in ſententia communi Deo ad indiuiduum determinante ponuntur: ſi enim creatura ad ſpeciem in communi ſententia, ſic determinata ſit, quid ni & ad illius indiuiduum? quando quidem, vt

 oſten-

oſtendimus in Logica, ſpecies ab indiuiduis non diſtinguantur,niſi penes conceptum confuſum & diſtinctum, quo indiuidua concipiuntur: ſed de his alibi ex profeſſo fuſius, vt dixi.

LIV. Probatur conſequentia aſſumpti 5. ſi Deus pręmoueat pręmotione phyſica, ſenſu ſupra dato,ad Abſalonis inceſtum, ad Pharaonis indurationem, ad Iudæorum Chriſticidium & alia id genus crimina; præterquam quod id conſonum non ſit Trid. Seſſ. 6. Can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari* &c. *Anathema ſit.* Ratio reddi non poterit, cur iſtorum actuum ſit permiſſor tantum, & non author? cur è contrà bonorum author, & non permiſſor tantum? quia cum creatura nihil præmittere potuerit, niſi phyſicè præmota, videtur Deus ad vtroſque actus à ſeipſo, & extrinſecus à nemine inuitatus, æquè efficaciter creaturam præmouere; ac proindè (quod abſit) æquè vtrorumque author eſſe: vndè Caluinus lib. 1. inſtitut. cap. 18. & lib. 2. cap. 4 & etiam 3. cap. 24. quod nonnulli Præmotores reſpondent Deum non niſi iſta crimina permittere, *Friuolum, frigidum, ſubterfugium, nugas, delirium* &c. dicit; & meritò equidem,quia Deus ex ſe à nemine inuitatus prohibet actum malum; vt ille actus ſit,phyſicè præmouet; & vt ille actus ſit liber, etiam phyſicè præmouet; quid igitur ſupereſt, quod permittat

tan-

tantum, & quod abeſſe poſſit, prout permiſſa vt permiſſa abeſſe poſſunt ? an fortè malitia actus? certè non video (fateor) quomodo malitia abeſſe poſſit ab actu libero prohibito, ac proindè nec quid illa præmotioni ſuperaddita permiſſio proſit, vt Deus, non æquè, imò magis, dicatur author peccati, quam creatura: reuera, niſi nos diceremus Deum non determinare creaturam ad ſubſtantiam actus mali, non video qua ratione, vel etiam in noſtra ſententia, Deus eſſet permiſſor actus quâ mali, & non eiuſdem quâ mali author, quod tamen eſt hæreticum, ergò *&c.*

LV. Dices, errauit quidem Caluinus, quia dixit Deum ita mouere ad malum, ſicut ad bonum, eo quod non ſatis diſtinxerit inter peccatum quâ actum, & inter peccatum quâ malum: item quia concedere non voluit iſtam diſtinctionem de neceſſitate conſequentis tollentis libertatem, & de neceſſitate conſequentiæ ſaluantis illam: ſed non errauit, quia agnouit præmotionem phyſicam ſiuè gratiam phyſicè efficacem, ergò *&c.*

LVI. Reſp. Tranſeat aſſumptum, & rogo an noſtri Præmotores ſenſu dato, idem reipſa non dicant? & proinde ſimili errore non errent, id enim omninò conuincere videtur probatio præcedens: deindè diſtinguatur nobis, obſecro, præmouere ad actum prohibitum liberum, & præmouere ad actum quâ malum; numquid ille qui liberè ponit actum prohibitum, cui videt an-

 nexam

nexã eſſe neceſſariò malitiam, ſaltẽ interpretatiuè ponit actum prohibitum liberum quâ malum? negari non poteſt: igitur ſimiliter Deum præmouere ad actum liberum prohibitum, cui videt annexã eſſe neceſſariò malitiam, ſaltẽ interpretatiuè eſt Deum pręmouere ad actũ liberum prohibitum quâ malum: imò ſcire velim, an creatura non ſit author peccati, præcisè quià ſe libere determinat ad actum liberum prohibitum? magis autem ex dictis Chyf. 51. liberè à Deo ad actum talem determinatur, quam ipſa ſeipſam ad illum determinet; igitur Deus haud minus, imò magis (quod abſit) eſſe debet author peccati iſtiùs, quam creatura: denique iterũ rogo vt mihi diſtinguant neceſſitatem conſequentis à neceſſitate conſequentiæ ex antecedente neceſſario antecedentis neceſſitate, vti eſt in propoſito, id enim difficulter facient.

LVII. Probatur conſequentia aſſumpti 6. ſi Deus ad malum pręmoueat pręmotione phyſica, ſenſu ſuprà dato, non apparet primò cur peccatores Dei voluntatem non faciant, ſed ſuam, cum peccant? contrà illud Concilij Arauſ. Can. 23. *ſuam voluntatem homines faciunt, non Dei, quandò id agunt, quod Deo diſplicet.* Secundò cur *aliquos ad malum non prædeſtinet?* contrà illud eiuſdem Can. 25. *aliquos verò ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſint, qui tantum malum credere velint, cum omni* de-

deteſtatione illis anathema dicimus. Tertiò cur Deus bonos per ſuam gratiam; malos autem per hominum malitiam, tales futuros præſciuit? contrà illud Concilij Valentini Can. 2. *Fideliter tenemus & placet tenere Deum bonos præſcijſſe omninò per gratiam ſuam bonos futuros & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos: malos præcijſſe per propriam malitiam malos futuros* &c. Quartò quomodo D. Thomas conciliari poſſit cum Auguſtino dicente 1. *nemini tribuas quod peccas, niſi tibi.* lib. 15. de Ciuit. cap. 7. *Deus peccata hominum potuit præſcire, non facere.* Epiſt. 120. *Homo es iniquus, duo dixi nomina, homo, iniquus, in iſtis duobus nominibus vnum eſt natura, alterum culpæ: vnum tibi Deus facit, alterum tu feciſti, ama quod Deus fecit, oderis quod tu feciſti.* in Pſalm. 44. & de peccat. merit. lib. 2. cap. 19. *extolli quippè in ſuperbiam, propriæ voluntatis eſt hominum, non operis Dei: nequè enim ad hoc eos compellit aut adiuuat Deus.* vndè ſuprà cap. 17. *nullius culpæ humanæ in Deum referas cauſam.* & cap. 18. *malam voluntatem ad authorem Deum, eſſe referendam nefas eſt dicere*, ergò *&c.*

SOLVTIO OBICECTIONVM.

LVIII. Obijcies 1. Motio qua Deus voluntates noſtras mouet, referri non debet in id quod Deus eadem actione qua volun-

luntas vult, agat: ſed in omnipotentiſſimam Dei poteſtatem, magis continentem voluntates noſtras, quam nos ipſi, ſiue quia in diuina voluntate magis latet voluntas creaturæ, quam creatura ipſa, ergò probationes iſtius primæ Reſerationis nullæ: probatur aſſumptum 1. ex Auguſtino de Correp. & gratia cap. 12. *tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poßint, quia ſic volunt: ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint.* & cap. 14. *ſic enim velle & nolle eſt in volentis aut nolentis poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* & infrà *Deus ſine dubio habet humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem*: 2. ex S. Thoma 1.p. quæſt. 19. art. 8. *cum igitur voluntas diuina ſit efficaciſsima, non ſolum ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.* & quæſt. 6. de malo. art. 1. ad 3. *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis*, ergò *&c.*

LIX. Confirmatur, vel voluntas noſtra ſic ſeipſam mouet, vt non egeat determinari ab alio, vel à Deo præmouetur phyſicè? ſed primum eſt contra Diuum Thomam 1.p.quæſt. 19. art. 3. ad 5. quod erat, *ab eo quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Phyſ. Textu* 48. &c. Reſpondet, *dicendum quod cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exte-*

teriori ad effectum, ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſsitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam, ergò *&c.*

LX. Reſp. Negando aſſumptum pro 1. parte, dum enim motio illa in omnipotentiſſimam Dei poteſtatem refertur magis continentem voluntates noſtras, quam nos ipſi eas contineamus, non ſignificatur Deum poſſe ſua omnipotentiſſima poteſtate facere, vt effectus liberi aut neceſſarij indifferenter ſint à cauſa libera aut neceſſaria, quia vt doctiſſimè loquitur Thomas VValdenſis lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 25. *neceſsitas ergò præcedens non compatitur arbitrij libertatem, & ideo ipſa non conuenit humanis effectibus. periculosè ergò, vt mihi videtur, quidam magni viri neceſsitatem iſtam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam & quod fluat à voluntate Dei, maximè cum antiquis Eccleſiæ Patribus nihil conſonans reperire poſſunt, cum conantur* &c. cuius ratio eſſe poteſt, quod ſicut Deus in omnipotentiſſima ſua poteſtate non habet voluntatem vt voluntatem facere naturam, & è contrà naturam vt naturam facere voluntatem, magis quam hominem vt hominem facere brutum, vel è contrà: ita nec in illa habet per naturam non ſubiectam voluntati ſiue per agens per modum naturæ, quale eſt præmotio phyſica, efficere actus voluntatis liberos & contingentes, vel è contrà per voluntatem non ſub-

iectam naturæ,ſiue per agens per modum voluntatis efficere naturæ effectus neceſſarios non liberos &c. ſed ſignificatur Deum in omnipotentiſſima ſua poteſtate, ſic continere voluntates noſtras, vt ad effectus, quos liberè & contingenter fieri vult, applicet cauſas liberas & contingentes, & ad effectus quos è contrà neceſſariò fieri vult, cauſas neceſſarias applicet, quod Diuus Thomas clariſſimè docet 1. p. quæſt. 19. art. 8. in corpore: *cùm igitur voluntas diuina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complemẽtum vniuerſi. & ideò quibuſdam effectibus aptauit* (nota) *cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt* (puta per actiuam ſuam indifferentiam) *ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt. quibuſdam autem aptauit* (iterum nota) *cauſas contingentes defectibiles* (puta per actiuam ſuam indifferentiam) *ex quibus effectus contingenter eueniant. non igitur proptereà effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes: ſed proptereà, quia Deus voluit eos contingenter euenire contingentes cauſas ad eos præparauit.* vide quartam probationem minoris ſuprà Chyſ. 25. 26. quia autem iſta cauſarum aptatio, applicatio & præparatio, non ità vniuerſaliter nobis conuenit, vti Deo, dicitur Deus voluntates noſtras magis continere, quam

nos ipſi eas contineamus: vndè nego conſequentiam. Ad probationẽ autem aſſumpti ex Auguſt.

LXI. Reſp. Illum impertinenter nobis obijci, quia tantum de operibus ſalutiferis locis citatis loquitur, non verò de omni actu libero Voluntatis, ad quem in Aduerſariorum ſententia præmotio phyſica requiritur: quod autem de iſtis operibus loquatur Auguſtinus, patet ex cap. 14. de correp. & grat. obiecto, vbi poſt hæc verba: *etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit*, vt opera non ſalutifera excludat, ait: *niſi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saüli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro, ſiue non ſubdere, quod vtique in eorum erat poſitum voluntate vt etiam Deo valerent reſiſtere*: ſi tamen de operibus ſalutiferis & non ſalutiferis indifferenter loqueretur Auguſtinus, expoſitio Diui Thomæ per cauſarum aptationem ſuprà allata optimè congrueret iuxta illud Fulgentij eius diſcipuli lib. 1. ad Monim. cap. 94. *hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis vt faciamus. quod euidenter in Epiſt. ad Heb. oſtenditur, vbi cum de Deo dictum eſſet: aptet* (audis) *vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.* continuo ſequitur *faciens in vobis quod placeat coram ſe* &c.

LXII. Ad probationem verò aſſumpti ex Diuo Thoma ſolutio patet ex reſponſione ad aſſumptum.

LXIII. Ad confirmationem denique, Reſpondeo voluntatem noſtram ſeipſam ſic mouere, vt egeat ab alio determinari determinatione propria primæ cauſæ ſiue primo principio, quæ ſaluatur in ſimultanea actione, vti hucvſque probatum eſt. ad Textum verò Commentatoris Reſpondeo vel ipſum loqui de eo quod eſt paſſiuè indifferens, & non de actiuè indifferenti, de quo nos loquimur; vel ſi de voluntate ſeu de eo quod actiuè indifferens eſt, loquatur, iſtud aliud quod requirit, quo hoc actiuè indifferens ad vnum inclinetur, aliud eſſe non poteſt, quam præuia obiecti propoſitio, quæ à præmotione phyſica Thomiſtica tantum diſtat, quantum ortus ab occidente: vndè S. Thomas ad Commentatorem rectè reſpondet: *dicendum quod cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori*, id eſt ab obiecto propoſito, *ad effectum*, id eſt ad actum; *ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet*, puta eſſendi ſecundùm ſe & actus ſuos (cum illi identificentur) *determinat ſeipſam ad actum*, quo vult *volitum*, *ad quod habet habitudinem non neceſſariam*: quamobrem, verum quidem eſt quod Diuus Thomas hic ſoli diuinæ voluntati tribuat ſeipſam determinare ad actum quà actum, quo vult volitum, & non ab obiecto propoſito, quaſi illo non propoſito, & exiſtente diuina voluntate, actus diuinæ voluntatis quà actus non foret, quia hic actus

quà

quà actus neceſſario eſt, imò alioqui defectu primi per ſe liberi ſiue à ſeipſo & non ab aliunde propoſito obiecto, procedendum eſſet in infinitum: verumtamen id non impedit ne voluntas noſtra determinet ſeipſam, & ſimul determinetur ab obiecto exteriori propoſito, ſic vt illo non propoſito actus voluntatis noſtræ quà actus non eſſet, quod ſufficit ad diſtinctionem noſtræ voluntatis à diuina & primo libero, nec aliud intendit Diuus Thomas, vt etiam patet ex ijs quæ habet 1. p. quæſt. 83. art. 1. ad 3. nec propterea Diuus Thomas noſtræ voluntati finitæ mirabilem tribuit perfectionem, quam, etiam reſpectu Dei, vix capiat intellectus noſter; quia perfectio, quam intellectus noſter non capit, non eſt actiuæ indifferentiæ, ſed identitatis actuum liberorum cum diuinitate, quam actibus voluntatis noſtræ non tribuit, ſed illam dumtaxat.

LXIV. Inſtabis cōtra Solutionem aſſumpti. ibi ſignificatur Deum ſua omnipotentiſſima poteſtate eminenter continere liberam noſtræ voluntatis determinationem, & præmotionē phyſicam voluntatem noſtram determinare, quatenus exit ab omnipotentiſſima Dei poteſtate, vt eminenter continente voluntatem noſtram, & liberam ipſius determinationem, ſed talis præmotio non lædit libertatem, quamuis ab intrinſeco ſit efficax & infallibilis, ergò &c.

LXV. Reſp. Primò me non ſatis diſcernere, cur præmotio phyſica exeat à Dei omnipotentiſſima poteſtate, vt eminenter continente voluntatem noſtram, & liberam ipſius determinationem, potius quam quodlibet aliud agens per modum naturæ: Id clarè tamen hoc dilemmate refutatur, quidquid ſit de iſta difficultate; vel enim creatio ignis v. g. ignem producit quatenus exit ab omnipotentiſſima Dei poteſtate vt eminenter continente ignem & generationem productionem ei connaturalem, vel non? ſi primum, creatio includet generationem ignis, ac proindè ignis ſub creatione erit generatus, quod eſt valde ridiculum: ſi ſecundùm, neque præmotio phyſica noſtram voluntatem phyſicè determinat, quatenus exit ab omnipotentiſſima Dei poteſtate vt continente eminenter voluntatem noſtram & liberam ipſius determinationem, quia non minus differt motio phyſicè efficax ab indifferenti, quam creatio à generatione.

LXVI. Reſp. 2. Ex inſtantia iſta ſequi, ſic facillimè excuſandam Stoïcorum, Aſtrologorum & Manichæorum circà hominis libertatem hæreſim: dici enim poterit omne illud quod in ipſorum ſententia voluntatem noſtram ad vnum determinat, exire ab omnipotentiſſima Dei poteſtate vt eminenter continente voluntatem noſtram & liberam eius determinationem; qui verò per hoc non ſatis excuſatur, qui ſententiar

P.

Patris Vermeil ſequuntur meritò accuſari poſſe videntur.

LXVII. Reſp. 3. Omninò impertinens eſſe quod ipſa præmotio phyſica exeat ab omnipotentiſſima Dei poteſtate vt eminenter continente voluntatem noſtram & liberam ipſius determinationem, ſi actus voluntatis noſtræ exeat à pręmotione phyſica agēte per modum naturæ, prout exire, velint, nolint, fateri tenentur aduerſarij, nè, ſi ab ea exeat vt agente per modum voluntatis, ipſa debeat ab alio præmoueri, de quo erit eadem difficultas, & ſic in infinitum.

LXVIII. Obijcies 2. Ex eodem: Aug. de correp. & gratia cap. 8. ait: *Voluntas humana, non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem.* Quod hoc modo interpretatur, Auguſtinus dicit voluntatem Dei & efficaciam eius eſſe humanæ libertatis radicem, ergò *&c.*

LXIX. Reſp. Conſequenter ad ſolutionem primi argumenti, admiſſa Auguſtini authoritate, diſtinguendo datam interprætationem, Auguſtinus dicit voluntatem Dei & efficaciam eius eſſe radicem extrinſecam per aptationem, applicationem & pręparationem cauſarum contingentium, liberarum, actiuè indifferentium *&c.* ad contingentes ſiuè liberos effectus, concedo; quo etiam ſenſu intelliges illud Diui Thomæ 1. p. quæſt. 19. art. 8. ad 2. *Ex hoc quod voluntati diuinæ nihil reſiſtat, ſequitur quod non ſolum fiant ea quæ Deus*

 vult

vult fieri, ſed quod fiant contingenter, vel neceſſariò, quod ſic fieri vult. Item & doctrinam Ariſtotelis quâ docuit mundum, ac per conſequens actiones noſtras, ſic à Deo ex neceſſitate naturæ procedere (in quo tamen errat) vt maneant illæ nobis liberæ, & earum Domini ſimus: dicit voluntatem Dei *&c.* eſſe radicem intrinſecam, vel ſic extrinſecam vt intrinſecam actiuè indifferentem in voluntate noſtra non ſupponat, nego, ob rationes & authoritates ſuprà allatas: quomodo autem gratia efficaciâ ſuâ contrahat & conſequatur actum liberum ſalua illius libertate? dicimus infrà Lect. penultimâ.

LXX. Obijcies 3. Ex eodẽ eo ipſo, quod aliquid libertatem connotat ex parte obiecti ſeu effectus, etiamſi eam infallibiliter inferat, nec id quod illã infallibiliter infert, ſit in noſtra poteſtate, tamen libertatem non deſtruit, ſed arguit, ergò quamuis ex efficacia diuinæ voluntatis infallibiliter inferatur conſenſus, & talis efficacia in poteſtate noſtra non ſit, dummodò obiectum eius ſeu effectus ſit libertas noſtri conſenſus, hic non deſtruitur, ſed potius firmatur.

LXXI. Reſp. Conceſſo antecedente, omninò negandum ſub præmotione phyſica talem libertatem connotari, magis quam ſub cauſa agente per modum naturæ talis libertas connotetur: nunquid enim Stoïci, Aſtrologi, Manichæi, Caluiniſtæ *&c.* ab Eccleſia damnatj ſunt, eo quod

aliam

aliam libertatem, quam iſtam in obiecto & effectu connotatam, negarint? nunquid hanc qualemcumque affirmarunt? contrarium non oſtendes; licet enim negarint nobiſcum hanc fuiſſe libertatem veram; quia tamen aliam contrà nos (quam nec agnoſcis) non agnoſcebant, veram in homine libertatem negarunt, & ideò ab Eccleſia damnati ſunt: vnde vel debes illud tuum principium deſerere, ſi cum illis conſequenter loqui nolis; vel ſi pertinaciter illud amplecti velis, non potes conſequenter loqui, niſi cum illis loquaris; neque eſt quod fingas hoc principium, *non ſtant ſimul libertas & voluntàs Dei antecedens & efficaciter mouens*, fuiſſe illud ex quo Caluinus hæreticè intulit *ergò non ſaluatur hominis libertas*. Quia admiſſo antecedente, conſequentia in ſententia Caluini eſt illegitima, quamdiu non additur minor, *ſed voluntas Dei eſt antecedens & efficaciter mouens*, & hac additâ, admiſſa maiore, in ſententia Caluini conſequentia eſt omninò legitima: vndè principium Caluini nullo modo defendimus; an verò illud defendas, quandoquidem aliam voluntatem Dei non agnoſcas, quam illam, quam Caluinus agnouit, & ex qua legitimè intulit, *ergò non ſaluatur hominis libertas*. Ipſe videris, tibi enim incumbit oſtendere, quod id non legitimè Caluinus intulerit, non quod id intulerit præcisè, & ideò quia id intulit, damnatus ſit; quia de eo non dubitatur, ſed tantum an

ex ſententia tua non legitimè inferatur Caluiniana hæreſis, de quo arbitrari nolim.

LXXII. Inſtabis præmotoribus phyſicè Caluiniſmum obijcere, leuitas & inconſideratio eſt; fumus eſt, qui imperitis obijcitur, ne proſpiciant veritatem; nec parum ab alijs Caluiniſtarum cauſa iuuatur, dum fingunt eos negantes liberum arbitrium refutari non poſſe, niſi efficax Dei decretum & vocatio negetur: nam efficax Dei decretum & vocationem facilius probabunt Hæretici, quam ipſi hanc conſequentiam, *datur efficax Dei decretum & vocatio, ergò non eſt liberum arbitrium*, ergò *&c.*

LXXIII. Reſp. Ea quæ præmiſimus, ità clarè conuincere Hæreticos negantes liberum arbitrium, refutari non poſſe, niſi phyſice antecedenter efficax Dei decretum & vocatio negetur, vt contrarium docere meritò leuitas & inconſideratio iudicetur, & fumus imperitis obiectus, ne proſpiciant veritatem; nec credimus fore vt facilius Hæretici probent efficax illud Dei decretum & vocationem, quam nos hanc conſequentiam, datur phyſicè antecedenter efficax Dei decretum & vocatio *ergò non eſt liberum arbitrium*; tum quia hæc conſequentia ex iſto antecedente legitimè deducitur, vt ſuprà vidimus; tùm quia non dari tale efficax Dei decrecum & vocationem ex dictis, & poſt Lect. penultimâ cum Auguſtino & Diuo Thoma dicēdis, manifeſtum eſt.

LXXIV.

LXXIV. Obijcies 4. Facile intelligitur præmotionem eſſe vt quod & ex parte Dei neceſſariam, ſic vt ſit vt quo, & ex parte voluntatis libera: atqui hoc ad libertatem ſufficit, ergò *&c.*

LXXV. Reſp. Negando maiorem: quia capere non poſſum (fateor) quomodo eadem intrinſecè indiuiſibilis præmotio, ſit intrinſecè neceſſaria in operando,& intrinſecè contingens reſpectu eiuſdem effectus, quod fieret: deindè quà contingens ex parte creaturæ, vel per aliam præmotionem præmouetur, vel non? ſi ſic, dari in præmotionibus proceſſum in infinitum neceſſe eſt: ſi non, fruſtra in eodem ente fit talis diſtinctio. Si autem dicatur quod ſit formaliter neceſſaria & virtualiter contingens reſpectu eiuſdem effectus,id ipſum eſt quod non capio & impugno; ac proinde tota noſtræ impugnationis vis manet: deniquè ſi ex parte creaturæ ſit contingens; creatura eâ contingenter in ſenſu compoſito, vt infra videbimus,vti poterit,& non vtetur dũ voluerit, ac proinde erit efficax ex parte Dei, & non erit efficax ex parte Dei, caſu quo creatura eâ non vtatur, quæ contradictoriè repugnant.

LXXVI. Vrgebis: præmotio phyſica non dicitur vt quo & ex parte creaturæ libera & contingens, eo quod creatura in ſenſu compoſito eâ vti vel non vti poſſit, ſed ex eo, quod ſe accommodet libertati & contingentiæ actiuæ creaturæ ergò ſollutio nulla.

LXXVII. Reſp. Iſta, verba eſſe & voces, quia ſemper quærimus, qui fieri poſſit, vt agens quod agit per modum naturæ & neceſſariò, ſe accommodet agenti per modum voluntatis & contingenter, ad hoc enim neceſſariò requiritur, vt idem ſit intrinſecè neceſſarium in operando & intrinſecè contingens in operando reſpectu eiuſdem effectus, quæ pugnant: Item requiritur vt ſit efficax ex parte Dei, & non ſit efficax ex parte Dei, quia ex parte creaturæ ſibi relictæ eſſet inefficax, quatenus ex parte creaturæ inefficax, impediret abſolutam efficaciam ex parte Dei: ſi autem dicas, ſe accommodare, in quantum in ſenſu diuiſo poteſt voluntas non actum ponere, licet non poſſit in ſenſu compoſito; id reuera eſt facere omne agens neceſſarium, liberum, vt infrà Luct. penultimâ probabimus.

LXXVIII. Obijcies 5. Præcipua noſtræ Reluctationis fundamenta fundari in hoc articulo Petri de Riuo, à Facultate Louanienſi prius, poſtea à Sixto IV. damnato, *quod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, inimpedibile eſt ac neceſſarium*; impudenter autem ſuppetias à damnato olim Authore emendicari ad impugnandos phyſicæ præmotionis & gratiæ phyſicè efficacis Authores catholicos: ergo *&c.* ita Aurel. Auitus in Diſſon. Epilogo.

LXXIX. Reſp. 1. Petrum de Riuo ibi per ly *inimpedibilè ex quo*, non intelligere id quod non eſt

eſt in poteſtate noſtra antecedenter impedire; alioqui cum ſit nobis impoſſibile illud antecedenter impedire, Articuli contra ipſum damnati eſſet hic ſenſus, *quod ex nobis impoſsibili antecedenter impedire, per neceſſariam ſequitur conſequentiam, inimpedibile eſt ac neceſſarium*, in quo fundari videntur authoritates Chyſ. 33. citatæ, & omnino verus eſt, nec à Sixto IV. magis damnatus, quam hæ propoſitiones, *mihi inimpedibile ac neceſſarium antecedenter eſt mihi inimpedibile ac neceſſarium; præteritum vt præteritum eſt inimpedibile ac neceſſarium.* Sed per ly *inimpedibile ex quo* intelligit *inimpedibile ex quo* prout præſcindit ab eo, quod non eſt in poteſtate noſtra antecedenter impedire, & ab eo, quod eſt in poteſtate noſtra antecedēter impedire, & iuxta hunc ſenſum falſa eſt & merito damnata, iſtius Petri de Riuo propoſitio; ſed fundamēta noſtræ Reluctationis hoc modo non ſumunt ly *inimpedibile ex quo*, ſed primo modo, ſic vt omnino verum & catholicum putemus, *eligibile* (ſub quo comprehende opera ſalutifera) *quod ex nobis impoſsibili antecedenter impedire, per neceſsariam ſequitur conſequentiam, inimpedibile eſt ac neceſsarium.*

LXXX. Reſp. 2. Articulum iſtum Petri de Riuo alio ſenſu non poſſe à Facultate Louanienſi damnari, quam hoc, *quidquid per neceſsariam conſequentiam ſequitur ex inimpedibili tali quali eſt Dei præſcientia, decreta diuina &c.* (quorum ante-

tecedentiam durationis intendebat tollere de Riuo, & non aliud) *hoc eſt inimpedibile & neceſſarium*, illumque Articulũ iuxta hunc ſenſum damnat Sixtus IV. & damnando virtualiter contra te hoc modo argumentatur, *quidquid per neceſſariam conſequentiam ſequitur ex Dei praſcietia, decretis diuinis &c. hoc eſſe inimpedibile & neceſſarium damnamus*: atqui quidquid per neceſſariam conſequẽtiam ſequitur ex inimpedibili, quod non eſt in poteſtate noſtra antecedenter impedire, eſt inimpedibile & neceſſarium: ergò *praſcientiam Dei, decreta diuina* &c. *eſſe tale inimpedibile, quod non ſit in poteſtate noſtra antecedenter impedire* (hoc autem argumentum extende ad gratiam phyſicè efficacem & præmotionem phyſicam, & vide an doctrinam damnatam non tuearis) *damnamus.*

XXXI. Inſtabis. Rectè monet Aluarez lib. vlt. Reſponſionum cap. 4. n. 16. quod *radix ex qua error Caluini, Lutheri & ſequacium, ortum habuit, ea eſt, quam aßignat Cardinalis Bellar. lib. 4. de gratia & lib. arb. cap. 16. §. & nos eam latè proſecuti ſumus diſp. 121. de auxiliis num. 8. & lib. 2. Reſp. cap. 2. n. 8. quia putauit per decretum abſolutum Dei, quo ab æterno prædefiniuit omnes actus contingentes & liberos futuros in tempore, deſtrui libertatem arbitrii, & rerum contingentiam tolli, omniaque ex neceßitate abſoluta prouenire, vos autem radicem erroris iſtius, totis viribus propugnatis, & conſequenter pro Caluino & Luthero diſputatis,*

nec

nec illis tibi obiicientibus, ſequens argumentum. Si Deus actus noſtræ voluntatus antecedenter prædefiniuit, nulla in talibus actibus per te poteſt eſſe libertas; atqui à pleriſque Academiis orbis Chriſtiani, nec non Religioſorum Ord. ſcholis, exceptis Moliniſticis defenditur, quod re verâ Deus actus ſaltem bonos ſic prædefiniuit, ergo vt minus, etiam catholicis, probabile eſt in eis nullam eſſe libertatem: habes, quod rectè reſpondeas, ergò *&c.* ita ferè Aurel. Auitus in Epil.

LXXXII. Reſp. 1. Nos radicem iſtam ita propugnare, vt dicamus illam nonniſi per errorem dici ex ſe (quidquid ſit de malitia Caluini & Lutheri, qua intulerunt, *ergò nulla eſt in eis libertas*) radicem erroris Caluini & Lutheri, quia ſic eam propugnamus, vt impugnãdo contra eoſdem *nullam in eis eſſe libertatem*, defendamus *in eis omnimodam eſſe libertatem.*

LXXXIII. Reſp. 2. Ad Argumentum vice Calnini & Lutheri nobis obiectum, te ſimiliter premere, ſi hoc modo tibi objiciatur; re verâ Deus per te actus noſtræ voluntatis, ſaltem bonos, antecedenter prædefiniuit: atqui à pleriſque Academijs orbis Chriſtiani, nec non Religioſorum Ordinum ſcholis, exceptis (vt aiunt) Thomiſtis, defenditur (vt rectè probat Sherlog. in Op. de ſci. Media.) quod ſi Deus actus noſtræ voluntatis antecedenter prædefiniuit, nulla in talibus actibus poſſit eſſe libertas, ergò vt miuus,

etiam Catholicis, probabile eſt, in eis nullam eſſe libertatem : numquid hanc conſequentiam admittere debes, ſi nos tuam?

LXXXIV. Reſp. 3. Nos ſic dicere, etiam Catholicis, probabile eſſe in eis nullam eſſe libertatem, vt ſimul Caluiniſmum & Lutheraniſmum deſtruamus, dicendo, Deum actus noſtræ voluntatis antecedenter non prædefinire : tu autem ſic dicere debes, etiam Catholicis, probabile eſſe in eis nullam eſſe libertatem, vt ſimul Caluiniſmum videaris adſtruere, dicendo, reuerà Deus actus, ſaltem bonos, antecedēter prædefinit; hoc tecum affirmant Caluinus & Lutherus; illud contra nos negant : ſi hoc nobiſcum negetur, non habent principium ex quo deducant ſuam erroneam ſequelam *ergo in eis nulla libertas* ; ſi tecum affirmetur, habent; numquid igitur minus habes, quod aptè reſpondeas, quam nos? vel potius, numquid aptè reſpondimus, & tu reſpondere vix potes? vide præterea Reſponſum ad Obiectionem 3. Chyſ. 70. & 71. 72. & 73.

OB-

LVCTATIO II.

An Diuus Thomas gratiam ad opera ſalutifera neceſſariam, cum Dei primi motoris motione ad eadem phyſicè efficaci, adæquatè confuderit, ſic vt aliam actualem ei non præſuppoſuerit.

RELVCTATIO.

LXXXV. Dico: Sanctus Thomas gratiam ad opera ſalutifera neceſſariam, cum Dei primi motoris motione ad eadem phyſicè efficaci, adæquatè non confudit, ſed aliam actualem, cum Auguſtino ei præpoſuit.

LXXXV. Probatur 1. Ex Diuo Thoma prima part. quæſt. 95. artic.4.ad 1. *homo etiam antè peccatum indigebat gratiâ ad vitam æternam conſequendam, quæ eſt principalis neceßitas gratiæ, ſed homo poſt peccatum, ſuper hoc indiget gratiâ, etiam ad peccati remißionem, & infirmitatis ſuſtentationem.* & 1. 2. quæſt. 9. artic. 6. ad 3. *homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum: ſed tamen interdum ſpecialiter* (vtique gratiâ condiſtinctâ à motione primi motoris) *Deus mouet aliquos ad*

aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his quos mouet per gratiam: Item infrà: quæſt. 109. artic. 2. *ſic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad vnum, ſcilicet ad operandum & volendum bonum ſupernaturale. ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo ſcilicet vt ſanetur, & vlterius vt bonum ſupernaturale virtutis operetur: quod eſt meritorium:* vt autem ſignificet Diuus Thomas ſe loqui de virtute ſeu gratia ſupernaturali motioni Dei primi motoris præſuppoſita, ſtatim addit: *vlterius autem in vtroque ſtatu indiget homo auxilio diuino, vt ab ipſo moueatur ad benè agendum.* quæ autem iſta gratia *ad infirmitatis ſuſtentationem*, & vt *natura corrupta ſanetur*, neceſſaria? niſi efficax & diſtincta à motione Dei primi motoris, cum hæc homini ſano & integro etiam conceſſa ſit: & denique ex eodē ſecunda ſecundæ quæſt. 137. art. 4. ad 2. *dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in libro de correp. & gratia cap. 11. primo homini datum eſt, non vt perſeueraret, ſed vt perſeuerare poſſet per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeuerandi difficultatem præberet. ſed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti, non ſolum datur, vt perſeuerare poßint, ſed vt perſeuerent.* Diuum Thomam autem ibi loqui de gratia præſuppoſitiuè ad motionem Dei primi motoris, vel ex ipſa Facultate Duacena in ſuis Antitheſibus num. 29. manifeſtum

ſtum eſt. vbi ſic docet, *Doctrina ſumma; quod præter adiutorium utrique ſtatui commune, quo nimirum indigebant tamquam operatione primi mouentis, & prima cauſa ſupernaturalis ad faciendum & volendum bonum quodcumq́ ſupernaturale. homo in ſtatu naturæ corruptæ indigeat etiam auxilio gratiæ ſanantis, erigentis, reparantis & confortantis ipſum contrà tentationum impetus & illecebras, quas patitur à carne, & contrà omnes prauas inclinationes, quas contraxit ex corruptione naturæ per peccatum: tali enim auxilio primus homo non eguit, quia natura eius ſana adhuc erat, & integra. non enim egent qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent, Luc.5. neque etiam primus homo eguit adiutorio gratiæ excitantis à torpore animi, quo non laborabat, cum vitium ſignificet*; vbi gratiæ habitualis nulla mentio, quia hæc eſt vtrique ſtatui communis, ſed actualis, quæ non ſit vtrique ſtatui communis, ac proindè ibi mentio tantum eſt gratiæ diſtinctæ à motione primi motoris, quę motio etiam fuit vtrique ſtatui communis, ergò *&c.*

LXXXVI. Confirmatur, juxta Diuum Thomam motio Dei primi motoris fuit communis naturæ integræ & lapſæ: ſed juxtà eumdem naturæ integræ & lapſæ non fuit communis eadem gratia, ſed diuerſa, vt ſequitur ex locis jam citatis, egò *&c.* probatur maior ex eodẽ 1.2. quæſt. 109. art. 2. loco paulò ante citato & artic. 4. in corp. vndè Auguſtinus in libro de correp. & gratia

cap.

cap.2.cum dixiſſet quod ſine gratia nullum prorſus bonum homines faciunt, ſubdit: *non ſolum vt monſtrante ipſa, quid faciendum ſit, ſciant : verum etiam vt præſtante ipſa faciant cum dilectione, quod ſciunt.* vndè indigent inſuper in vtroque ſtatu auxilio Dei mouentis ad mandata implenda vt dictum eſt, ergò *&c.*

LVCTATIO III.

An Sanctus Auguſtinus gratiam phyſicè efficacem ad opera ſalutifera homini lapſo neceſſariam agnouerit.

Antè Reluctationem

LXXXVII. SVppono 1. Gratiam homini lapſo ad opera ſalutifera neceſſariam, de qua vbique Auguſtinus, eſſe illam, 1. Quâ *homines aguntur* Cap. 1. de Correp. & gratia. 2. Quâ *homines habent liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem.* cap.8.ibidem. 3. Iterum ibidem, quâ *voluntas humana vt perſeueret, conſequitur inſuperabilem fortitudinem.* 4. Quæ *à nullo duro corde reſpuitur: ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* cap. 8. de prædeſt. Sanctorum. 5. Per quam

quam Deus *facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* cap. 16. de grat. & lib. arbitrio 6. quæ *præuenit hominis voluntatem bonam; nec eam cuiuſquam inuenit in corde, ſed facit.* Epiſt. 107. ad Vitalem.

LXXXVIII. Suppono 2. Iuxtà fidei decreta & Auguſtinum. liberum arbitrium non eſſe nobis in pœnam peccati originalis ablatum. *quis noſtrûm dicat,* inquit Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana indiget gratia, dicente Domino, ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad benè iuſtèque viuendum. nam liberum arbitrium vſque adeò non perijt, vt per illum peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati; hoc eis placet, quod eis libet. Vndè Apoſtolus, cum eſſetis, inquit, ſerui peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Eccè oſtenduntur etiam in peccato minimè potuiſſe, niſi alia libertate ſeruire. liberi ergò à iuſtitia non ſunt niſi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, niſi gratia Saluatoris. Liberum arbitrium,* inquit de correp. & gratia cap. 1. *& ad malum & ad bonum faciendum, confitendum eſt habere nos. Sed in malè faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruuſq; peccati: In bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit,*

dixit, ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. & Epiſt. 107. ad Vitalem, *quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſuâ liberâ credere voluntate? cum potius illi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda ſit liberum.* & in Epiſt. 47. *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat, ſiue in malam vitam, ſiue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt ſine gratia valeat aliquid.* vndè in Tridentino Seſſ. 6. Canone 5. contrà Lutherum poſt definitum eſt. *Si quis liberum arbitrium hominis poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à Satanâ inuectum in Eccleſiam, anathema ſit.* & Can. 6. *ſi quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari &c. anathema ſit. his ſuppoſitis ſit.*

RELVCTATIO.

LXXXIX. DIco: Sanctus Auguſtinus gratiam phyſicè efficacem homini lapſo ad opera ſalutifera neceſſariam non agnouit.

XC. Probatur 1. ex ſancto Auguſtino de prædeſt. Sanctorum cap. 5. *quiſquis audet dicere, habeo ex me ipſo fidem, non ergò accepi, profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati, non quia credere*

vel

vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino: igitur credere vel non credere eſt in arbitrio ſub gratia electionis conſtitutorum, quo ſenſu cap. 6. ait : *Multi audiunt verbum veritatis ; ſed alij credunt, alij contradicunt. volunt ergò iſti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino ; diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* Vndè Proſper ad Excerpta Geneuenſium dubio 4. *& tamen illi, quia voluerunt, crediderunt : illi quia noluerunt, non crediderunt. miſericordia igitur & iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt.* & poſt pauca : *Nunquid dubium eſt, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? ſed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, diſcernendum eſt quid veniat de miſericordia, quid de iudicio,* ergò *&c.*

XCI. Dices *credere vel non credere*, ſic eſſe *in arbitrio voluntatis humanæ*, vt non credere ſit in arbitrio voluntatis præcisè, credere verò in arbitrio voluntatis adiuto, & quidem ſic adiuto, vt certò credat, iuxtà illud Auguſtini de gratia Chriſti cap. 14. *quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit, non autem poteſt, niſi adiutum eſſe, ſi venit : & ſic adiutum, vt non ſolum quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod*

ſcierit etiam faciat. ergò per loca de prædeſt. Sanctorum, & Proſperi, non probatur *credere vel non credere* eſſe in arbitrio hominum ſub gratia electionis conſtitutorum. ſumitur ex D.p. de Init. piæ vol. cap. 3.

XCII. Reſp. 1. Ex loco de gratia Chriſti cap. 14. rectè quidem inferri arbitrium *non veniens, non credens* &c. poſſe eſſe ſolū; & arbitrium *veniens, credens* &c. non poſſe eſſe niſi adiutum; verumtamen hinc non rectè infertur arbitrium adiutum non poſſe, non eſſe *veniens* vel *non veniens, credens* vel *non credens* per ordinem ad omne auxilium incluſum in gratia prædeſtinationis electionis &c. diſtributiuè ſumptum, ſic vt ſit, certò *veniens, credens* &c. per ordinem ad omne illud collectiuè ſumptum, quomodò gratiam Chriſti, prædeſtinationis, electionis &c. ad mentem S. Auguſtini, Diui Thomæ &c. Luct. penultimâ exponemus, alioqui re verà hic Auguſtinus non rectè diceret, *quemquam venire & non venire arbitrio voluntatis.* & de prædeſt. SS. cap. 4. *credere vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ*; quia ſi ſupponas arbitrium adiutum, per te, iſta verificari non poſſunt in ſenſu compoſito de *non venire, non credere* &c. & Auguſtinus dicere debuiſſet quemquam poſſe *venire* vel *non venire, credere* vel *non credere* &c. arbitrio voluntatis adiuto, vel non adiuto, quod omninò ridiculum eſt.

XCIII. Reſp. 2. Auguſtinum, tum de gratia

Chriſti, tum de prædeſt. Sanctor. locis citatis loqui de *venire* & *credere* prout oportet ad ſalutem aliquando conſequendam, ad quod, quia omninò neceſſaria eſt gratia prædeſtinationis vt prædeſtinationis, id eſt, omne auxilium incluſum in gratia prædeſtinationis collectiuè ſumptum, quæ eſt ex gratuita Dei miſericordia ſolis electis conceſſa; & non ſufficit quodcumque diſtributiuè ſumptum, quod ex Adamo remanſit debitum ex hypotheſi quod Deus velit hominem cadendo peccare, vt optimè monſtrat Author Portarum Antiquo-nouarum de Hæreſis Peliagianæ ac Semi-pelagianæ Arcanis, propter quod Auguſtinus frequenter repetit, *in electu præparatur voluntas à Domino. cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio: miſericordia igitur & iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt* &c. vndè Doctor ille Pariſienſis loco obiecto inconſideratus valdè ait, *vnicus certè hic de gratia Chriſti cap.* 14. *locus toti gratiæ internæ verſatilis, & in manu liberi arbitrij poſita, machinæ diſſoluendæ ſufficit.* & melius longè, ac Decretis Pontificijs, Tridentini, Pij V. & Gregorij XIII. conformius, imò & menti Auguſtini ſtatim fuſius declarandæ, dixiſſet, *vnicus certè hic de gratia Chriſti cap.* 14. *locus toti gratiæ internæ verſatilis, & in manu liberi arbitrij poſita, machinæ* ſtabiliendæ ſufficit, vt rectæ ſequitur ex præmiſſis.

XCIV. Probatur 2. Ex eodem de gratia & libero arbitrio cap. 2. *vbi dicitur noli hoc, noli illud & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.* puta hominis ſub gratia conſtituti, vt verba ſequentia ſignificant, *nemo ergò Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat; neque cum aliquid ſecundùm Deum*(nota)*operatur alienet hoc à propria voluntate.* Item ex eodem infrà cap. 3. *quandò autem dicit homo: non poſſum facere quod præcipitur, quoniam concupiſcentiâ meâ vincor* &c. *cui tamen dicit Apoſtolus noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* numquid ille cui dicitur vince in bono malum eſt ſub gratia Chriſti conſtitutus, & illi dicitur, noli vinci à malo? *& vtique cui* ſub gratia conſtitutò *dicitur: noli vinci, arbitrium ſinè dubio voluntatis eius conuenitur.* quod arbitrium, niſi ad velle & nolle? *velle enim & nolle, propriâ voluntatis eſt.* ergò *&c.*

XCV. Dices ex locis de correp. & gratia, quæ pro noſtra ſententia citauimus, aliud non conuinci, quam hanc ſancti Auguſtini ratiocinationem, *præceptum eſt, ergò homo liberum arbitrium habet, quia non poteſt præceptum ſinè libero arbitrio & voluntate hominis impleri.* eſſe veram; hanc autem, *præceptum eſt, ergò homo ſic habet liberum arbitrium per gratiam adiutum, vt poßit obedire vel non obedire.* quæ veſtra eſt, eſſe falſam, & Au-

gu-

guſtino aduerſari de correp. & gratia cap. 8. *quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. quandò rogauit ergò ne fides eius deficeret; quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem? eccè quemadmodum ſecundùm gratiam Dei, non contrà eam libertas defenditur voluntatis. voluntas quippè humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratia potius libertatem, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* ergò *&c.* ſumitur ex D. Chyſ. 91. citato cap. 10.

XCVI. Reſp. Negando aſſumptum: quia Auguſt. conſequentiam noſtram expreſsè docet lib. de fide contrà Manichæum cap. 9. vbi ait: *cum conuincuntur naturam non eſſe malum, ſed in poteſtate eſſe hominis facere benè aut malè, dicunt non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam.* & cap. 10. *quis non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere? & has iniuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe aſcribere. Sed quid verum eſt, niſi & Dominum dare præcepta, & animas liberæ eſſe voluntatis, & malum naturam non eſſe, ſed eſſe auerſionem à Dei præceptis, & eſſe iuſtum Dei iudicium, quo damnet peccantes?* Item quæſt. 24. quæſtionum 83. *nec peccatum, nec rectè factum imputari cuipiam iuſtè poteſt, qui nihil fece-*

rit propria voluntate: eſt igitur & peccatum,& recte factum in libero voluntatis arbitrio, quod liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus,iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum recte faciendi. quem ſequitur Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 2. in corpore. *Similiter etiam non poteſt dici quod ſic moueat Spiritus ſanctus voluntatem, ad actum diligendi, ſicut mouetur inſtrumentum, quod etſi ſit principium actus, non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere. ſic enim etiam tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti*: & quæſt. 6. de malo artic. 5. iam ſæpius citato, vbi dicit iſtam opinionem eſſe hæreticam.

XCVII. Reſp. 2. Locum de correp. & gratia cap. 8. obiectum, omninò pro nobis facere, quia ly *præparatur* omninò intelligi debet prout apud Diuum Thomam Luct. 1. citatum Chyſ. 27. 28. 29. 30. intelligitur ly *aptatur*, *applicatur* &c. id autem commodiſſimè explicari ſaluâ libertate patet ex ibidem dictis: deindè ly *præparatur* ſupponere voluntatis in ſenſu compoſito præparationis flexibilitatem ad vtramque partem, patebit ex dicendis Luct. penultimâ.

XCVIII. Probatur 3. Ex eodem de libero arbitrio lib. 3. cap. 1. *motus voluntatis in eo diſſimilis eſt motui lapidis, quod lapis in poteſtate non habet cohibere motum, dum fertur inferius, animus verò dum vult, non ità mouetur, vt ſuperioribus deſertis, inferiora deligat, ſed poteſt electionem, vt patet*

tet ſuſpendere. & infrà. *motus autem quo huic, atque illuc voluntas conuertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis: neque omninò monendus eſſet, vt, iſtis neglectis, æterna vellet adipiſci, atque vt male nollet viuere, vellet autem bene. hoc autem monendum non eſſe hominem, quiſquis exiſtimat, de hominum numero exterminandus eſt.* & lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. *quapropter niſi obtineamus, non ſolum voluntatis arbitrium quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male vti malus poteſt: ſed etiam voluntatem bonam* (vtique præſupponentem voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur) *quæ iam in eis bonis eſt, quorum eſſe vſus non poteſt malus* &c. his autem in locis ly *huc, atque illuc* deſignare voluntatis arbitrium ſub gratia conſtitutum, poſſe velle vel nolle, manifeſtum eſt ex verbis lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. iam citatis. *neque omninò monendus eſſet, vt iſtis neglectis æterna vellet adipiſci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.* ergò &c.

XCIX. Dices non eſt quærendum in libris de libero arbitrio, quid S. Auguſt. de gratia ſentiat, quia Aug. librum de libero arbitrio ſcripſit antè ortum Hæreſis Peligianæ & cum in errore Maſſilienſiũ eſſet ergò *&c.* ſumitur ex D. ſup. cit. c. 8.

c. Reſp. 1. Locum iſtum à nobis non citari vt probemus gratiam Chriſti fuiſſe ſufficientem aut efficacem, de quo Luct. penultimâ, ſed vt probemus liberum arbitrium poſſe huc, atque illuc ſub gratia flecti: quæ autem ibi de libero arbitrio ſcripſit Auguſtinus, non retractat, ſed Retract. lib. 1. cap. 9. confirmat aiens: *multa in ijs libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius diſputationis cauſa poſcebat* Imò illa quæ ex libro iſto de libero arbitrio attulſimus, in libris de peccator. merit. loco iam citato in ſubſtantia repetit.

c 1. Reſp. 2. Fuerit Aug. in errore Maſſilienſium, dũ libros iſtos ſcripſit, non propterea quod ex ipſo citauimus eſſando errauit, aut alibi retractauit, ſed potius vbique confirmauit, vt ſtatim dictum eſt: deinde Maſſilienſium error in eo non fuit, quod vellent liberum arbitrium ſub omni gratia prædeſtinationis diſtributiuè ſumpta, huc atque illuc flecti poſſe; ſed in eo quod nollent Chriſti gratiam ſiuè prædeſtinationis ſic eſſe efficacem, vt eſſet voluntatis determinatiua: Auguſtinus autem ita voluit liberum arbitrium ſub omni gratia diſtributiuè ſumpta huc atque illuc flecti poſſe, vt voluerit gratiam Chriſti ſiue prædeſtinationis eſſe ſic efficacem, vt eſſet voluntatis determinatiua. modo Luct. penultimâ explicando.

c 1. Probatur 4. Ex eodem lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. *noluit ergò Eſau & non cucurrit, ſed, ſi voluiſſet, cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.* & vt pateat gratiam vocationis & communis ſecundùm propoſitũ eſſe eiuſdem naturæ, & ſolum differre modo Luct. penult. à nobis explicando, paulò infrà addit: *multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, vtique ij, qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt, volentes autem ſine dubio crediderunt* &c. igitur hi electi & ſecundùm propoſitum vocati poterant eo ſenſu ſuam vocationem contemnere, ſicut illi non electi, & vocati, ſed non ſecundùm propoſitum, ſuam ſequi; quod verum eſſe poteſt ſaluâ gratiæ prædeſtinationis & Chriſti efficaciâ, vt Luctat. penultimâ explicabimus. quod autem iſta ſcripſerit Auguſtinus antè hæreſim Pelagij, nihil refert, quandoquidem illa inter cætera poſtmodum non retractarit, ſed ſecundùm ſubſtantiam, vt paulò antè Chyſ. 100. dictum eſt, poſteà confirmarit. de peccatorum merit. & remiſſ. lib. 2. cap. 18. *quapropter niſi obtineamus, non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc, atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè vti malus poteſt: ſed etiam voluntatem bonam, quæ iam in eis bonis eſt, quorum eſſe vſus non poteſt malus, niſi ex Deo, nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus*

mus quod dictum eſt. videlicet, *vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium vt ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.* vbi attende obſecro Auguſtinum arbitrium liberum, quod huc atque illuc flectitur, ſupponere ſubeſſe, & bonis naturalibus, in quibus eſt voluntas, & bonis ſupernaturalibus, quorum vſus non poteſt eſſe malus; ac proindè ſiue ſub his, ſiue ſub illis, huc atque illuc flecti ſi velit, & non tantum in ſenſu diuiſo, ſed & in ſenſu compoſito, vt infra Luctat. vltimâ oſtendemus: vndè conſonanter Epiſt. 47. *fides Catholica neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam; neque ei tantum tribuit, vt ſine gratia valeat aliquid.* & de correp. & grat. cap. 1. *liberum arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum eſt habere nos.* quomodo in vitam malam, niſi vt malè vel non malè agat? quomodò ad malum faciendum, niſi vt malè, vel non malè faciat? igitur in bonam vitam ſimiliter & ad bonum faciendum, vt cum gratia benè, vel non benè agat, quia liberum arbitrium ad vtramque vitam, aliundè ſuperquiſitâ gratiâ ad bonam, æquiparat, ergò *&c.*

CII. Dices 4. His in locis ad Simplicianum, & de peccator meritis. ab Auguſtino Semipelagianum ſenſum proponi ac diſcuti, nō proprium; quod vt certiſſimè demonſtres obſeruandum

mo-

monebis, Auguſtinum ibi inueſtigare; an ideo Deus dicatur donare fidem, *quia nemo poteſt credere niſi velit, & nemo velle niſi vocetur, nemo autem ſibi poteſt tribuere, quod vocetur*: eodem autem modo in libro 83. quæſt. q. 68. cum circa fidei donum erraret, docet fidem eſſe donum Dei, *quia nemo velle poteſt niſi admonitus & vocatus, & nemo ſibi debet tribuere quod vocetur*. & de Præd. SS. cap. 3. eodem modo ſuum errorem exprimit; *neque enim*, inquit, *fidem putabam Dei gratiâ praueniri, vt per illam nobis daretur, quod poſceremus vtiliter, niſi quia credere non poſſemus, ſi non praecederet praeconium veritatis*: hoc eſt niſi admoneremur & vocaremur. Locum hunc quæſtionis ad Simplicianum, cum loco citato 83. qu. compara. ergò *&c.* ſumitur ex D. ſup. cit. c. 3. & 5.

CIII. Reſp. 1. Vel locum de peccator. merit. reuerâ eſſe ex propria Aug. mente, & non ex Semipelagianorum ſententia, vel certè dubium fore quid alibi ſit ex propria Aug. mente, quid ex Semipelagianorum ſententia; quod eſt omnia Auguſtini ſcripta in dubium reuocare: ſi verò locus Auguſtini de peccator: merit. pro libertate à nobis citatus, ſit ex propria Auguſtini mente, ex eadem conſequenter erit locus ad Simplicianum etiam pro libertate à nobis citatus.

CIV. Reſp. 2. Eſto, Auguſtinus hîc Semipelagianum ſenſum proponat, & errauerint Semipelagiani in eo, quod putauerint non omnem

vo-

vocatum vocatione ſecundùm propoſitum, vocatione prædeſtinatorum, vocatione à Chriſto electorum &c. credere, benè operari &c. non ideò erraſſet cum Semipelagianis dicens, *noluit Eſau & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet, cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret.* quia apud Auguſtinum (vt contendimus) hæc ita vera ſunt, vt ſimul verum ſit omnem vocatum vocatione ſecundùm propoſitum, vocatione prædeſtinatorum, vocatione à Chriſto electorum &c. credere, benè operari &c. nam ſic *noluit Eſau* vocatus vocatione ſupernaturali communi bonis & malis, & ſufficienti tãtum (quam, vt conſtat ex probatis libro de Hæreſis Pelagianæ ac Semipelagianæ Arcanis Portâ 2. agnouerunt Semipelagiani) *& non cucurrit.* vt *niſi vocatione iſtâ contempta reprobus fieret*, & in maſſa perditionis relinqueretur: *voluiſset, & cucurriſset, Dei adiutorio perueniſset, qui ei etiam velle & currere.* vocando vocatione ſecundùm propoſitum, vocatione prædeſtinatorum &c. *præſtaret*, idque liberè efficaciſſimè vt Luctat. penult. probabimus: vndè cum vocatio illa communis, & vocatio ſecundùm propoſitum, prædeſtinatorum &c. diſtingui non poſſint ſecundùm ſubſtantiam, in eo nempè quod vna ſit naturâ ſua efficax, alia ex natura ſua ſufficiens; ſed tantum accidentaliter, & penes gratiarum

ſuf-

ſufficientium multiplicationem, vt oſtendemus Luctat. penultimâ, conſequens eſt loca Auguſtini hac 4. probatione pro nobis citata facere.

C V. Probatur 5. Sic Auguſtinus de gratia ad opera ſalutaria homini lapſo neceſſaria loquitur, vt volitio bona ſub illa in noſtra poteſtate maneat iuxta illud eiuſdem de libero arbitrio lib. 3. cap. 3. *igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate, porrò quia eſt in noſtra poteſtate libera eſt nobis.* quod æque verum eſſe debet, ſiuè agatur de gratia, ſub qua ſit volitio bona, ſiue de præſcientia Dei (de qua ibi Auguſtinus) ſub qua ipſa ſit: atqui volitio bona, quæ ſub gratia eſt in noſtra poteſtate, poteſt eſſe, vel non eſſe in ſenſu compoſito gratiæ & voluntatis, ergò *&c.* Probatur minor ex Auguſtino de ſpiritu & littera cap. 31. *hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit, ſi non vult non facit.* & vt oſtendat quod poſſit velle & non velle in ſenſu compoſito gratiæ & voluntatis, poteſtatem iſtam à ſimili intrà explicans addit. *hinc & Dominus Pilato, non haberes in me, inquit, poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper.* illa autem erat Chriſtum Dominum dimittendi, aut tradendi. *ſed cum poteſtas datur, non neceſſitas.* quæ, niſi ad vnum determinatè? *imponitur: vndè cum Dauid Saulis occidendi poteſtatem accepiſſet, maluit parcere, quam ferire: vndè intelligimus malos accipere poteſtatem ad damnationem malæ voluntatis ſuæ.* ſic nempe vt ſimul accipiant po-

te-

teſtatem ad probationem bonæ, *bonos autem ad probationem bonæ voluntatis ſuæ.* ſic nempè vt ſimul accipiant ad damnationem malæ, alioqui in exemplis proportio non eſſet, quam etiam agnoſcit cap. 33. *vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo* (nota) *vel benè vel malè vtentes iuſtiſsimè iudicentur. quod cum ſit, infideles quidem contrà Dei voluntatem faciunt, cum eius euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſq́ pœnalibus implicant, experturi in ſupplicijs poteſtatem eius, cuius in donis* (iterum nota) *miſericordiam contempſerunt.* & 34. id ipſum magis explicās ad propoſitum noſtrum; *attendat, & videat, non ideò tantum iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus: ſiue extrinſecus per euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſsentire, propriæ voluntatis eſt. His ergò modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat: profectò & ipſum velle cre-*

credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prauenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propria voluntatis eſt. vnde l. 1. Retract. c. 9. *optimè, inquam, de te veritas clamat: non enim poſſes aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus, facimus, quapropter nihil tam in poteſtate noſtra, quam ipſa voluntas eſt, ea enim prorſus nullo interuallo mox vt volumus preſtò eſt.* igitur illud tantum eſt in poteſtate noſtra, quod fit, dum volumus, & non fit dum nolumus, iuxtà illud lib. de ſpirit. & lit. c. 31. ſuprà citato. *hoc quiſque in poteſtate habere dicitur: quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit.* igitur fieri illius ſupponit, in ſenſu compoſito gratiæ & voluntatis, velle & nolle poſſe. Concordat lib. 2. de Actibus cum Fœlice cap. 5. *qui enim ſeruare legem non vult, in poteſtate eius eſt, ſi velit; non enim dixit, non potuerunt, ſed noluerunt.* & denique l. 5. de ciuit. Dei cap. 10. *multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non vtique faceremus, quo primitus pertinet & ipſum velle, nam ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt; non enim vellemus, ſi nollemus.* quaſi diceret: in noſtra poteſtate eſt, velle aut nolle. iuxtà illud de prædeſt. SS. cap. 6. *illi homines quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt &c.* ergò &c.

CVI. Dices 5. Ex Doctore Pariſienſi ſupra citato cap. 3. Auguſtinum de ſpirit. & lit. cap. 32. quærere cum Semipelagianis, an dici poſſit,

quod

quod homo ideò voluntatem, qua credit Deo, à Domino acceperit, quia liberum arbitrium naturaliter à creatore attributum eſt animæ rationali, vt ita verum ſit de voluntate credendi, dicere, quid habes quod non accepiſti? & reliquum caput in hanc ſententiam pertexere, ergò *&c.*

CVII. Reſp. Me non videre quo vergat eluſio iſta, niſi vt Auguſtinum Semipelagianum faciat, toto iſto capite & alijs libris, in quibus hujus capitis 32. doctrinam, ab his verbis, *vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri* (vndè iſto capite incipit, quid verum ſit decernere) proſequitur: in iſto tamen capite verbum non eſt quod non patiatur gratiæ Chriſti efficaciam exponi iuxta expoſitionem Luct. penult. ex Aug. adferendam: quarè obſtupeo ad hanc præfati Auctoris in Auguſtinum calumniam, *hac eadem omnino ſunt Semipelagianorum, qui poſteà orti fuere, dogmata.* quod vt probet, adfert verba Proſperi in Epiſt. ad Auguſtinum dicentis, *quidam vero horum* (ſcilicet Maſſilienſium) *in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cum ad confitendam eam gratiam Christi* &c. *cogantur*, &c. *ad conditionem hanc velint vnius cuiuſque hominis pertinere.* Sed ſi ſemel probetur per gratiam Chriſti à Proſpero, Auguſtino, & Semipelagianis intelligi gratiam prædeſtinationis, quod facile eſt, probatio iſta primo intuitu apparet nulla. oſtendat obſecro Doctor ille Auguſtinum hîc velle gratiam

præ-

prædeſtinationis *ad conditionem vniuſcuiuſque hominis pertinere*; & non potius ad quæſtionem, cur vni conferatur, alteri negetur, propter quam de ſpirit. & lit. cap. 34. infrà exclamat aiens, *jam, ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet: cur illi, ità ſuadeatur vt perſuadeatur: illi autem non ità, duo ſola occurrunt iterum, quæ reſpondere mihi placeat; ô altitudo diuitiarum: & numquid iniquitas apud Deum? cui reſponſio iſta, diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.*

CVIII. Inſtabis fortè ex eodem: dum Auguſtinus de ſpirit. & lit. cap. 34. ſtatim citato ait, *conſentire vocatione Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*. de vocatione interna non loquitur, ſed de vocatione externa, ergò *&c.*

CIX. Reſp. Auguſtinum ibi loqui de interna & externa, vt cõſideranti patebit verba, quæ premittit, *ſiue extrinſecus per euangelicas exhortationes* &c. *ſiue intrinſecus* &c. imò vt oſtendat ſe locutum de ſuaſione interna, dum dixit, *conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*, caput 34. obiectum ſic concludit, *iam, ſi ad illam profunditatem* &c. vt paulò antè citatum eſt. Hic autem eſſe mentionem de ſuaſione & perſuaſione proportionaliter internis, negari non poteſt; quia pro externa, etiam in ſententia tua optimè reſpondetur, *propriæ voluntatis eſt*, quod reſponderi poſſe negas, igitur velis, nolis, mentio eſſe

debet de interna, ſic vt ſuaſió ſit ex gratia ſufficienti, quę ſit auxilium ſupernaturale *ſine quo non*, perſuaſio verò ex gratia perſeuerantiæ ſiue Chriſti, quæ ſit auxilium ſupernaturale *quo* & efficax modo Luct. penultima explicando.

c x. Dices 6. Ex eodem Doctore ibidem cap. 11. vbi ait: ne verò hæ & ſimiles locutiones, *perſeueraret homo ſi vellet; crederet ſi vellet, in noſtra poteſtate eſt bonum operari* &c. quę aliquãdo apud ſanctum Auguſtinum leguntur, difficultatem alicui ingerant, veras eſſe concedat: ſed dicat præparari voluntatem à Domino vt velit, ac iuxtâ ſancti Auguſtini doctrinam non præparari omnibus; quibus præparatur, velle; quibus non præparatur, non velle; *multi audiunt verbum veritatis* vt dicitur de prædeſt. SS. cap. 6. *ſed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergò iſti credere, nolunt autem illi: quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia, quid de iudicio.* & c. 22. de dono perſeu. *nec oraret Eccleſia vt perſeueraret in fide Chriſti, non decepta vel victa tentationibus mundi, niſi crederet Dominum, ſic in poteſtate habere cor noſtrum, vt bonum quod non tenemus niſi propriâ voluntate, non tamen teneamus niſi ipſe in nobis operetur & velle.* nullo igitur modo gratia ſufficiens verſatilis aut ad orandum, aut ad operandum ex his locutionibus colligi poteſt, quæ certè non minus Pelagianis

nis & Maſſilienſibus, quam gratiæ verſatilis & Moliniſticæ defenſoribus fauent: non itâ ego ſanctum Auguſtinum, ſed ità ipſe ſeipſum interpretatur lib. 5. Retract. cap. 22. *quod autem*, inquit, *dixi alio loco, niſi quiſquam, inquam, voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, vbi ait, aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. quod non eſt contrà gratiam Dei quam prædicamus, in poteſtate quippè hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: cum enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ſed præparatur voluntas à Domino, eo modo ergò dat poteſtatem. ſic intelligendum eſt & quod dixi poſteà, in noſtra poteſtate eſſe, vt vel inſeri bonitate Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur: quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem, quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impoßibile fuit.* Hæc etiam habet eodem lib. 1. Retract. cap. 10. *quod verò dixi, illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad eius præcepta implenda conuertunt, quod omnes homines poſſunt ſi velint, non exiſtiment noui hæretici*

Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. verum eſt enim omninò, omnes homines hoc poſſe ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis vt poßint. quod hic ideò dictum non eſt, quoniam præſenti neceſſarium non erat quæſtioni.

CXI. Reſp. Imprimis huic obiectioni abundè ſatisfactum ſupra Chyſ. 91. & 95. ad 1. & 2. obiectionem reſpondendo: deindè quomodo loca iſta nobis magis quam Maſſilienſibus faueant, optimè probat Author Portarum ſuprà citatus Port. 1. Obſer. 6. vbi oſtendit gratiam Chriſti ex mente Auguſtini eſſe gratiam prædeſtinationis & efficacem, ac independentem à nutu noſtræ voluntatis, ab initio fidei, & orationibus noſtris independenter à gratia Chriſti elicitis; quam quoad independentiam iſtam negarunt Maſſilienſes, vti Port. 2. Author ille probat; nos verò cum Auguſtino eam contrà Maſſilienſes affirmamus, illiuſque efficaciam infrà Obſer. penultima explicabimus.

CXII. Dices 7. Ex Ianſenio de gratia Chriſti lib. 2. cap. 34. iſta loca apud eos, qui in Auguſtini doctrina tantillum verſati ſunt, nullam continent difficultatem; quia iſtis locis aliud non ſignificatur, quam velle & nolle, conſentire ac diſſentire &c. eſſe officia voluntatis, ſic vt fieri non poſſint ſinè voluntate, ergò *&c.*

CXIII. Reſp. Negando aſſumptum, quia re-

reuera omnes, qui in Auguſtini doctrina tantillum verſati ſunt, ſtatim vident iſtis locis ſic ſignificari velle & nolle, conſentire ac diſſentire &c. eſſe officia voluntatis, vel potius liberi arbitrij, vt liberum arbitrium ad iſta, etiam iſtorum eſſe debeat, & non vnius tantum; ſic vt reſpectu vnius iſtorum tantum determinatè non ſit liberum arbitrium, magis quam gratia ipſa, quę eſt ad vnum ex proprio agendi modo determinata: vndè ſi liberum arbitrium in ſententia iſta, eſſet, vt gratia, ex proprio operandi modo ad vnum determinatum, opus eius ſupernaturale non aliter eſſet liberi arbitrij, quam nunc in illa eſſe dicitur, quod tamen aſſerere fidei diſſonum putamus.

CXIV. Probatur 6. Sic loquitur Auguſtinus de gratia Chriſti & efficaci, vt liberum arbitrium in homine lapſo relinquat, iuxtà illud eiuſdem de ſpirit. & lit. cap. 30. *liberum ergò arbitrium euacuamus per gratiam? abſit, ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. ſicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur.* & Epiſt. 89. *neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur; ſed ideò iuuatur, quia non tollitur.* atqui liberum arbitrium iuxtà D. Thomam ſubtiliſſimum Auguſtini interpretem, eſt de agendo hoc vel illud, aut de agendo vel non agendo; *homo eſt liberi arbitrij; ac ſi diceretur liberi judicij de agendo, vel non agendo* (id eſt iudicii ſubiecti potentiæ ex proprio ſuo ope-

randi modo actiuè indifferenti, vt illud ſequatur vel non ſequatur, vt clarè conuincit totus contextus & illud Auguſtini de lib.arb. lib. 12. c.19. *quodammodo ſeipſa vtitur voluntas, quæ vtitur cæteris*;) quæſt. 24. de verit. art. 1. *liberum arbitrium dicitur reſpectu eorum, quæ non neceßitate quis vult, ſed propria ſponte: vndè in nobis liberum arbitrium eſt, reſpectu eius quod volumus currere vel ambulare.* lib. 1. contra Gentes cap. 88. & infrà. *homo per hoc quod habet liberū arbitrium, dicitur ſuorum actuum Dominus.* quid autem ſit eſſe ſuorum actuum Dominum, docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 82. art. 1. ad 3. *ſumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc vel illud eligere*, & 1. 2. quæſt. 6. artic. 2. ad 2. *ex hoc contingit quod homo ſit Dominus ſui actus, quod habeat deliberationem de ſuis actibus: ex hoc enim quod ratio deliberans ſe habeat ad oppoſita, voluntas in vtrumque poteſt.* vide dicta Chyſ. 6. fauet tamen etiam expreſsè Auguſtinus locis de libero arbitrio lib. 3. cap. 1. & lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. & Epiſt. 47. probatione 1. Chyſ. 90. citatis, ergò *&c.*

CXV. Obijcies 1. Ex Vincentio Leni ſuæ Theriacæ lib. 1. Excellentia, quâ voluntas ſupereminet cæteris animæ potentijs, eſt poteſtas quædam, quâ non tātum alijs potentijs, ſed etiam ſibi ipſi imperat, & mediante imperio ſui, cæterarum potentiarum ſibi obedientium motus gubernat; ergò non conſiſtit in indifferentia actiua,

ſiue

ſiue in eo quod voluntas ſit actiuè indifferens, prout in iſta Reluct. ſupponitur.

CXVI. Reſp. Conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; ſed peto, cur voluntas ſibi ipſi imperet, & non aliæ potentiæ, bruta, dormientes, amentes &c.? id enim in aliud refundi non poteſt, quam in id, quod voluntas ex proprio ſuo, id eſt, ab alijs diſcernente operandi modo, ſit actiuè indifferens, ſeu actiuè indeterminata ad vnum, non autem bruta (& eadem ferè eſt ratio de alijs potentijs, dormientibus, amentibus &c.) vt conſtat ex Diuo Thoma de verit. quæſt. 24. artic. 1. in corpore, *nec bruta iudicant de ſuo iudicio*, puta ſic vt per illa ſtet, illud ſequi vel non ſequi, *ſed ſequuntur iudicium ſibi à Deo inditum*, id eſt, naturæ inſtinctum (ſiue vt loquitur 1. part. qu. 59. art. 3. *iudicium à natura inditum, & ſic non ſunt cauſa ſui arbitrij, nec libertatem arbitrij habent: homo verò per virtutem rationis iudicans de agendis, poteſt de ſuo arbitrio iudicare*, puta, ſic vt per illum ſtet, illud ſequi vel non ſequi, *in quantum cognoſcit rationem finis & eius quod eſt ad finem, & habitudinem & ordinem*, puta conuenientiæ & diſconuenientiæ, *vnius ad alterum. & ideò non eſt ſolum cauſa ſui ipſius in mouendo, ſed in iudicando. & ideò eſt liberi arbitrij: ac ſi diceretur liberi iudicij de agendo vel non agendo*, id eſt, iudicij ſubiecti potentiæ ex proprio ſuo operandi modo actiuè indifferenti, vt loquitur Diuus Thomas paulò in-

ſrà artic. 6. in corpore. *liberum arbitrium, vt dictum eſt, eſt potentia qua homo liberè iudicare poteſt.* id eſt iudicium potentiale ſubiectum potentiæ ex proprio ſuo operandi modo actiuè indifferenti. eodem ferè modo loquitur 1. part. quæſt. 83. art. 1. in corpore, vbi iſta magis explicat. *quædam autem agunt iudicio, ſed non libero, ſicut animalia bruta. Iudicat enim ouis videns lupum, eum eſſe fugiendum, naturali iudicio, & non libero: quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc iudicat. & ſimile eſt de quolibet iudicio brutorum animalium. ſed homo agit iudicio: quia per vim cognoſcitiuam, iudicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. ſed quia iudicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero iudicio, potens in diuerſa ferri.* quod iudicium, quia non eſt in brutis, pueris, amentibus, &c. fit vt nec bruta, nec pueri, amentes, &c. ſibi ipſis imperent, & ideò in ſuis operationibus liberi non ſunt. Ex quibus manifeſtum eſt, quo ſenſu Diuus Thomas lib. 3. contrà Gentes cap. 111. dicat: *ſola creatura rationalis habet dominium ſui actus, liberè ſe agens ad operandum: cætera verò creaturæ ad opera propria magis aguntur, quam agant.* Si autem quæras, quorum actuum dominium habeamus, qui actus in poteſtate noſtrâ conſiſtant &c.? audi Diuum Thomam 1. p. quæſt. 82. artic. 1. ad 3. *ſumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus*

hoc

hoc vel illud eligere. & Damaſcenum Orthod. fidei lib. 2. cap. 26. *In noſtra poteſtate conſiſtunt omnia illa, quæ ad animum ſpectant, & de quibus deliberamus. Conſilium porrò & deliberatio de his rebus ſuſcipitur, quæ per æquè in vtramq; partem contingere poſſunt.* vt autem ſcias idem eſſe, eſſe Dominum ſui actus, & actum ſuum habere in poteſtate, ſubiunge locum ſequentem ex Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 6. art. 2. ad 2. *Ex hoc contingit quod homo ſit Dominus ſui actus, quod habeat deliberationem de ſuis actibus. ex hoc enim quod ratio deliberans, ſe habeat ad oppoſita, voluntas in vtrumq; poteſt.*

CXVII. Obijcies 2. Ex Authore Racemationis ad Eximium D. Randurium §. 1. vel voluntas ſub priori & vnico iudicio practico, tam parata & proximè expedita eſt ad diſſentiendum, quam ad conſentiendum gratiæ, ſine vlla iudicij practici mutatione, vel non? ſi affirmas, Eſtianus, Thomiſta, Ariſtotelicus, Auguſtinianus non es: ſi neges, ſufficit quod ſub diuerſo iudicio poſſit alterum eligere, licet huius electionem impreſſam habeat à cauſa priori, ergò *&c.*

CXVIII. Reſp. 1. Ibi ſupponi falſum, videlicet ad electionem vnius determinatè præ alio requiri iudicium practicum de vno præ alio eligendo, quod non ſit in poteſtate voluntatis ſequi vel non ſequi; proponit enim intellectus voluntati obiectum vnum eligendum & aliud non eli-

eligendum, & tunc accedit iudicium practicum de vno præ alio eligendo, voluntas autem; vtpote *liberi iudicij de agendo vel non agendo*; *de ſuo arbitrio iudicat*, in quo diſtinguitur à brutis, *nec bruta iudicant de ſuo iudicio, ſed ſequuntur iudicium ſibi inditum, & ſic non ſunt cauſa ſui arbitrij, nec libertatem arbitrij habent*, vt loquitur D. Thom. paulò ante ad Obiect. 1. citatus.

CXIX. Reſp. 2. Voluntatem ſub priori & vnico iudicio practico, tam paratam & proximè expeditam eſſe ad diſſentiendum, quam ad conſentiendum gratiæ, ſine vlla iudicij practici mutatione. quia voluntas *poteſt de iſto iudicio ſiue arbitrio iudicare*, illud ſequi vel non ſequi, aliunde propoſito obiecto vno eligendo & alio non eligendo, & in eo homo differt à brutis, vt ſtatim ex D. Thom. vidimus: nec mirum eſt, quia voluntas eſt actiue libera, non vero intellectus; vt quid igitur in iſto vnico iudicio practico ad vnũ determinato potius eſſet humana libertas actualis, quam in inſtinctu dicto naturali brutorum? vnde ſi Eſtianus non ſim, Thomiſta aut Auguſtinianus ad Authoris iſtius mentem; ſi D. Thom. & Auguſtini mentem ſequor, quod ſaluo meliori iudicio puto; nihil nos tangit, aut angit: quam tamen parum vero ſimile ſit, quod Author Lucernæ Aug. cap. 18. Edit. 2. dicit, *quia intellectus per diuerſa iudicia diuerſas vias oſtendere voluntati poteſt, voluntas hanc, aut iſtam viam indifferenter* in-

ingredi, & carpere poteſt; quod omnino veriſſimum, patet tum ex iam dictis; tum quia, ſi voluntas non eſſet aliunde indifferens indifferentiâ actiuâ ſibi intrinſecâ, ſed indifferentiâ actionum dumtaxat, vt bruta, quæ *beneficijs inducuntur, & flagellis prohibentur propter indifferentiam actionum, ſiue ad agere conſideratâ actione ſecundùm ſeipſam,* vt docet D. Thom. q. 24. art. 2. de verit. aut ſola indifferentiâ propoſitionum obiecti; voluntas non eſſet magis libera, aut liberè electiua, quam bruta, aut potentia appetitiua materialis, cui imaginatiua per diuerſas imaginationes diuerſas vias oſtendere poteſt; & certè equidem, niſi Author ille aliunde probet ſub iſto vnico iudicio voluntatem non neceſſitari ad electionem per illud propoſitam, eo modo quo bruta ad appetitiones ſuas neceſſitantur, fateri debet voluntatem non eſſe aliter liberam in eligendo, quam intellectus in iudicãdo, & bruta in appetendo; quia ſi voluntas, illo caſu, eſſet intellectus aut brutalis appetitus, non magis neceſſitaretur ad actum ſibi proportionarum, quam ad electionem illam: nec his obſtat quod præfatus Author c. 19. ex D. Thom. in 2. diſt. 25. art. 1. ad 4. adfert, nempè, *beati eligunt amare Deum ſempiterna & libera electione.* quia ſic ſub vno iudicio practico eligunt amare Deum, vt non obſtante eo iudicio practico, niſi adeſſet ad talem electionem ſpecialis & efficax Dei aſſiſtentia (cuius efficacia explicanda ſit, eo modo,

modo, quo gratiæ Chriſti efficaciam explicamus Luct. penult.) poſſet eligere Deum non amare; de quo ſpecialiter in tract. de viſione beatifica.

CXX. Probatur 7. Sic gratia Chriſti & efficax, de qua loquitur Auguſtinus intelligi debet, vt verum maneat quod l. 5. de ciuit. c. 10. ait: *Cum dicimus neceſſe eſt vt cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideò liberum arbitrium neceßitati ſubijcimus.* atqui quod ſubijcitur neceſſitati gratiæ ad ſenſum Ianſeniſtarum efficaci, ſubijcitur neceſſitati, quæ adimit libertatem, quodque vt vitet S. Proſper ex mente Auguſt. magiſtri ſui lib. 2. de vocat. gentium cap. 28. ait: *Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.* & in fine eiuſdem capitis: *Igitur ſicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneant; ſic & qui non crediderunt, iuuantur vt credant, & quemadmodum illi habent in ſua poteſtate vt exeant* (nota ſimilitudinem) *ità iſti in ſua habent poteſtate, vt veniant*, ergò *&c.* probatur minor: quia ex dictis ſuprà Luct. 1. quod ſubijcitur neceſſitati agentis per modum naturæ ex proprio ſuo operandi modo, ſubijcitur neceſſitati quæ adimit libertatem, & gratia agit per modum naturæ vt ſic, attento ſenſu quo plures hodie docent illam eſſe phyſicè efficacem, ergò *&c.*

CXXI. Probatur 8. Rationibus Luct. 1.

con-

contrà præmotiones phyſicas allatis, quæ etiam contrà gratiam phyſicè efficacem vim habent, ergò *&c.*

CXXII. Probatur 9. Quia ſi adſtruatur gratiam phyſicè efficacem eſſe ad opera ſalutifera neceſſariam, argumenta Pelagianorum, & Semipelagianorum contra gratiam Auguſtinianam omninò vim ſuam retinere videntur, nec ab Auguſtino (quod abſit) eſſe ſatisfactum, *nam* vt rectè notat Facultas Theologica Duacena Antitheſium ſuarum num. 115. *præceptis, exhortationibus, promiſſis, comminationibus, quis locus eſſe poterit? vbi nulla eſt humanarum actionum ad vtrumq; libertas, ſed naturalis, & ineuitabilis ad vtramq; partem neceſſitas*, ergò *&c.* probatur aſſumptum, quia gratia phyſicè efficax determinat voluntatem ad effectum per modum naturæ, ſiue tamquam natura ex proprio ſuo operandi modo ad talem effectum determinata; vndè fit quod ſub illa nulla eſſe poſſit humanarum actionum ad vtrumque libertas, in illamque directè inuehitur D. Thom. q. 6. de malo: ſed naturalis & ineuitabilis ad vtramque partem neceſſitas, ergò *&c.*

CXXIII. Dices id ipſum poſſe in Dei præſcientiam retorqueri, ergò *&c.*

CXXIV. Reſp. Tranſeat aſſumptum, nego conſequentiam; ſiue enim id in Dei præſcientiam rectè retorqueatur, ſiuè non, parum ad rem, quia

de

de diuina vſus contingentium viſionis præſcientia, ità diſcurrendum eſt, vt incommoda iſta procul vitentur, quod vt fiat, nonnullus adſtruit vſus contingentium viſionis præſcientiam quâ liberam, ità eſſe ab æterno quatenus temporis inſtantia Dei æternitatem reſpiciunt, vt ſit in eſſe vſus contingentium viſionis præſcientiæ quâ liberæ per actus noſtros liberos inadæquatè conſtituta in tempore, quatenus tẽporis inſtantia ſeſe reſpiciunt, ac proindè ſic ab æterno, vt ad actus noſtros ſe habeat, ſicut ad illos ſe habet voluntas noſtra, in eſſe liberè volentis formaliter conſtituta. vndè liquet ex præſcientia Dei talia incommoda non ſequi, neque ab Auguſtino incommoda iſta, & Hæreticorum in Auguſtinum argumenta, in præſcientiam Dei retorqueri, quia contrà illam vim habent, ſed è contrà, quia in præſcientia Dei viſionis vim amittunt, vti in voluntate noſtra liberè volente iuxtà Pelagianorum & aliorum ſenſa in voluntatem noſtram in eſſe liberè volentis per actus ſuos formaliter conſtitutam retorta, eam deperdunt; ſed hæc alibi examinabimus: vidè ſuprà 4. Obiect. 1. Luct.

CXXV. Dices prætereà per iſtam gratiam phyſicè efficacem *nouimus Deum velle & iubere, vt quandoquidem eos, qui prædeſtinatorum numero comprehenſi ſunt, à cæteris diſcernere non poſſimus, omnes homines velimus, & quantum poſſumus, conemur ſaluos facere: ex quo fit, vt quamuis nemo, niſi illo nu-*

numero excluſus, pereat, noſtra tamen ſocordia, ſi ſalutem eius neglexerimus, imputandum ſit, ita Ianſ. de gra. Chriſti lib. 10. cap. 9. ergò *&c.*

CXXVI. Reſp. Negando conſequentiam, Deus quidem id vult; ſed quæro quâ ratione ſocordiæ noſtræ imputetur, ſi ſalutem reprobi & pereuntis neglexerimus; quandoquidem per noſtram diligentiam non poſſit benè operari ſinè gratia, quam per te non haberi, & per noſtram ſocordiam non poſſit nō operari cum gratia, quam haberet? videtur enim diligentia & ſocordia ad vtrumque omninò impertinens in tua gratiæ, quā doces, efficacis ſententia: quod autem addis, prædeſtinationem effectum ſuum ſinè aliorum cooperatione non ſortituram, te non iuuat, quia in illam ipſam aliorum cooperationem ratio noſtra vim habet, dicendo quod aliorum in cooperando diligentia vel ſocordia ad propriæ vel alterius prædeſtinationis effectum planè impertinens ſit, in gratiæ (vt docet) efficacis ſententia; ſunt enim habituri cooperationis gratiam vel nō? ſi ſic, ſint diligentes vel ſocordes quantum fieri poteſt independenter ab illa cooperationis gratia, cooperabuntur; ſi nōn, nōn cooperabuntur. vtrumque vel ipſe Ianſenius fateri debet.

CXXVI. Confirmatur, ſi quæ loca Auguſtini adferri poſſent, quibus conuinceretur gratia phyſicè efficax, maximè eſſent loca ſuppoſito 1. allata, ſed illa eam nōn conuincunt, ergò *&c.*

probatur minor, quia ſolum conuincũnt gratiam prædeſtinationis hominibus lapſis cõceſſam, eſſe, efficacem modo Luctat. penultimâ explicando, ergò *&c.*

LVCTATIO IV.

Quænam ſit gratia, quam agnoſcunt ſanctus Auguſtinus, & Diuus Thomas ad opera ſalutifera homini lapſo neceſſariam.

RELVCTATIO.

CXXVI. Dico, gratia, quam ſanctus Auguſtinus & Diuus Thomas ad opera ſalutifera homini lapſo neceſſariam agnoſcunt, eſt tot gratiæ actuales, ex ſe tantum diſtributiuè ſufficientes, inſtantaneè aut ſucceſſiuè homini lapſo conceſſæ, donec ex libera eius electione ſequatur ſalutiferum opus.

PROBATIO Quoad Auguſtinum.

CXXVII. Probatur 1. Ex Auguſtino lib. de Dono perſeu. cap. 14. *prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia &*

præ-

præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur. lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. *nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum: non enim ait, duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. quis trahitur ſi iam volebat? & tamen nemo venit, niſi velit.* (quod nota, & attende ad dicta paulò ante) *trahitur ergò miris modis* (audis?) *vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. *Deus eſt vbique præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras:* (puta vincibiliter) *neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* de ſpirit. & litt. cap. 34. *his ergò modis* (nempè *viſorum ſuaſionibus; extrinſecus per euangelicas exhortationes; intrinſecus* &c.) *quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prauenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* & lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2.

cum ergò alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem, eademq́; res ſæpè alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumq́; moueat, alium non moueat (vbi nota excludi efficaciam illam phyſicam) *quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi,quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq́; coniungeret* (vbi nota non dici applicaretur,coniungeretur) *in qua Iacob iuſtificatus eſt? quod ſi tanta quoque poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, vt contrà omnes modos vocationis obdureſcat mentis auerſio* &c. modos autē iſtos alibi enumerat,vt de corr.& grat.c.2. *aguntur cum dilectione, delectatione,& iuſtitiæ ſuauitate.* & de verb. Apoſt. ſer.13. *ſpiritu Dei aguntur,ſed ſpiritu exhortante, illuminante,adiuuante.* in Epiſt.ad Zozimum. *paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium.* Tract. 26. in Ioan. *Noli cogitare te inuitum trahi,trahitur animus & amore.* & paulò infrà. *ego dico: parū eſt voluntate ire,etiam voluptate traheris. quid eſt trahi voluptate? delectare in Domino,& dabit tibi petitiones cordis tui.* & adhuc infrà. *ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam,nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quia quò currit trahitur, amando trahitur, cordis vinculo trahitur.* quod repetit de verbis Apoſt. ſerm. 2. nemo *venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum, non dixit duxerit, ſed, traxerit. Iſta violentia cordi ſit, non carni,quid ergò miraris?crede,& venis;ama,& traheris. ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtamq́; violen-*

lentiam; (qualis eſt præmotio phyſica & gratia phyſicè efficax) *dulcis eſt*, *ſuauis eſt*, *ſuauitas te trahit: nonne ouis trahitur, cũ eſurienti herba monſtratur? & puto, quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur*; quis autem amorẽ excitatum per oſtenſionem *rami oui factam* (præſertim ſi famelica non ſit) *nucum puero* (ſi decipi putat) eſſe efficacem inſtar gratię phyſicè efficacis, quam impugnamus, credit? Magiſtro ſuo conſonanter loquitur Proſper contrà Collatorem c. 6. *non reſiſtentem inuitumq́, compellit, ſed ex inuito volentem facit, & quibuſlibet modis* (quod nota) *infidelitatem voluntatis inclinat, vt cor audientis, obediendi in ſe delectatione generatâ, ibi ſurgat, vbi premebatur; ibi diſcat, vbi ignorat; indè fidat, vndè nolebat.* & cap. 14. vbi *quoſlibet* illos *modos* enumerans ait: *illuminatione, delectatione, deſiderio, & effectibus animæ trahimur*, ergò &c.

CXXVIII. Probatur 2. Gratia Angelorum, hominis recti, & prædeſt. hominis lapſi, vna eſt, & inter ſe non diſtinguuntur, niſi penes minus & amplius, ſiuè penes hoc, quod vna ſit maior, alia minor, ergò gratia prædeſt. hominis lapſi non poteſt eſſe efficax & voluntatis determinatiua, niſi quatenus conſiſtit in aggregato dicto: conſequentia, ſuppoſito antecedente vero, eſt legitima.

CXXIX. Probatur antecedẽs ex Auguſt. de correp. & gratia cap. 11. *tale quippè erat adiutorium, quod deſereret cũ vellet, & in quo permaneret;*

ſi vellet; non quo fieret vt vellet. hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primò Adam; ſed hæc potentior (quod aggregatum, de quo in Reluctatione, dicit, & aliud non) *eſt in ſecundo Adam.* & paulò infrà. *ſecunda ergò plus poteſt.* & iterum infrà. *hæc autem maior eſt.* vndè paulò infrà. *cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem* (attende, quomodo *per idem*, ſi alterius naturæ gratia inſtrueretur?) *liberum arbitrium ſteterunt ipſi* &c. & paulò infrà. *nunc autem quibus deeſt tale adiutorium* (numquid *tale*, conſonanter dicitur ad præmiſſa verba *per idem*?) & iterum poſt pauca. *tantò amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolum adſit* (igitur adeſt) *ſinè quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus; verum etiam tantum.* (nota augmentum gratiarum eiuſdem naturæ, donec ſequatur effectus) *ac tale ſit, vt velimus.* iſtis autem conſonanter loquitur lib. 12. de Ciuit. c. 9. *aut ſi vtrique æqualiter boni creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibûs, illi amplius* (quod nota) *adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vndè ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt.* quarè Proſper iuxtà Magiſtrum ſuum Aug. l. 2. ad Traſimundum cap. 2. de Angel. ait, *profectò cognoſcitur vniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu prauitatis virtus diuina defenderet.* & cap. 3. *non alia virtus ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. vna eſt in*

vtro-

vtroque gratia operata : in hoc vt ſurgeret ; in illo (in quo vel ipſis Aduerſarijs fatentibus non fuit phyſicè efficax) *ne caderet*. Item lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. *Deus ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.* & in fine capitis. *igitur ſicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneant ; ſic & qui non crediderunt, iuuantur vt credant, & quemadmodum illi habent in ſua poteſtate vt exeant : ità iſti in ſua poteſtate habent, vt veniant*. quæ non parum confirmantur auctoritate ſcripturæ ad Roman. 5. *vbi abundauit delictum* (ibi ſanè erat gratia, quia illa ad ſeruãda ſupernaturalia præcepta æque prerequiritur ac voluntas, & ſicut hac, etiam in pœnam peccati originalis ſeclusâ nullus præcepta ſupernaturalia trãſgrediendo peccet, ita nec illâ præclusâ) *ſuperabundauit* (nota) *gratia : vt ſicut regnauit peccatum*, ſub libertate hominis integri ; *ſic gratia regnet* ſub libertate hominis lapſi, ergò *&c.*

CXXX. Probatur 3. Ex eodem. ſic de gratia Chriſti nobis loquendum eſt, vt vera maneant ea, quæ habet Auguſtinus de correp. & gratia cap. 14. *ſic enim velle & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate ; vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*. & de prædeſt. SS. cap. 5. *quiſquis audet dicere, habeo ex me ipſo fidem, non ergò accepi ; profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati : non quia credere vel non credere non*

eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Item lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *vt velimus & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum, vocando; noſtrum, ſequendo.* ad Bonifacium Epiſt. 106. *ſcriptum eſt non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia nullus eſt hominis atque voluntatis curſus; ſed quia nihil poteſt, niſi ille miſereatur.* & iterum. *dictum eſt ab Apoſtolo, non ego, ſed gratia Dei mecum: non quia ipſe nihil boni agebat; ſed quia nihil ageret, ſi illa non adiuuaret.* de natura & gratia cap. 63. ex Ambroſio. *& ideò qui Chriſtum ſequitur poteſt interrogatus cur eſſe voluerit Chriſtianus, reſpondere, viſum eſt mihi; quòd cum dicit, non negat Deo viſum; à Deo enim præparatur voluntas hominum, vt enim Deus honorificetur à Sancto, Dei gratia eſt:* & denique de peccator. merit. lib. 2. cap. 5. *nec ideò tamen de hac re ſolis verbis agendum eſt, vt non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis. adiutor enim noſter Deus dicitur; nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur. Quia non ſicut in lapidibus inſenſatis: aut ſicut in eis in quibus natura rationem voluntatemq; non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.* atqui iſta in aliorum ſententia verificari non poſſunt, & in noſtra poſſunt, ergò *&c.* probatur minor, in qua ſola difficultas; quia in ſententia admittentium gratiam phyſicè efficacem & præmotiones phyſicas, verificari non poteſt, *velle aut nolle* quoad ſalutem

tem *in volentis*, *aut nolentis*, *eſſe poteſtate. nam hoc quiſque in poteſtate habere dicitur*, *quod ſi vult*, *facit*, *ſi non vult*, *non facit* &c. Auguſtinus de ſpirit. & lit. cap. 31. vide dictâ Chyſ. 129. in ſententia verò P. Molinæ verificari non poteſt, ſic *velle aut nolle* in volentis aut nolentis eſſe poteſtate quoad ſalutem, vt diuinam voluntatem numquam impediat, nec vmquam ſuperet poteſtatem, nec quod Deo volenti ſaluum facere nullius hominis reſiſtat arbitrium; quia vt à nonnullis rectè probatur in eius ſententia, gratia prædeſtinationis primam efficaciam prout opponitur inefficaciæ, videtur habere à determinatione noſtræ voluntatis: in noſtra autem ſententia, ſic vtrumque conciliatur; *velle & nolle*, *correſpondere vel non correſpondere* ſingulis gratijs diſtributiuè, ex quibus aggregatur gratia prædeſtinationis, perſeuerantiæ &c. ità in volentis & nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem quoad effectum correſpondentem ſingulis gratijs collectiuè, ex quibus aggregatur gratia prædeſtinationis, perſeuerantiæ &c. non impediat, nec vmquam, quoad effectum vt ſic, diuinam ſuperet poteſtatem; quia licet Deus per hominum voluntates agat, habet tamen ſinè dubio humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, vti de prædeſt. SS. cap. 14. docet Auguſt. ergò *&c.*

CXXXI. Probatur 4. Sic efficacia gratiæ explicanda eſt, vt hæc loca Auguſtini de ſpirit. & lit. cap. 30. *liberum ergò arbitrium euacuamus per gratiam? abſit; ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. ſicut enim lex per fidem; ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur.* Epiſt. 47. *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam.* Epiſt. 89. quæſt. 2. *neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur; ſed ideò iuuatur, quia non tollitur.* & lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. *Ipſa ratio quemlibet noſtrûm quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rurſus nec liberum ſic aſſeramus arbitrium, vt, ſuperbâ impietate, ingrati Dei gratiæ iudicemur.* cum ſequentibus ex eodem conciliëntur, enchirid. cap. 30. *libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit & ipſum* &c. epiſt. 107. ad Vitalem. *liberum arbitrium ad diligendũ Deum primi parentis peccati granditate perdidimus.* Serm. 2. de Verb. Apoſt. *arbitrij vires homo cum conderetur, accepit, ſed peccando amiſit.* atqui in noſtra ſententia omnium optimè conciliantur, ergò *&c.* Probatur minor, quia dicendo 1. hominem prædeſtinatum poſſe cuiuis gratiæ diſtributiuè &c. conſentire vel non conſentire, *liberum arbitrium per gratiam non euacuatur; ſed ſtatuitur: liberum arbitrium affirmatur ſiue in vitam malam, ſiue in vitam bonam: agnoſcitur voluntatis arbitrium,*

trium , quod huc atque illuc liberum flectitur &c. vnde meritò Hieronimus in Epiſt. ad Cteſiphontem, ſic Pelagium arguit, *fruſtrà blaſphemas & ignorantiam auribus ingeris; nos liberum arbitrium condemnare, damnetur ille, qui damnat.* & Proſper in Epiſt. ad Ruffinum, *nimium verò ineptè, nimiumq́; inconſideratè ab aduerſarijs obijcitur, quod per hanc Dei gratiam, libero nihil relinquatur arbitrio.* dicendo 2. impoſſibile eſſe vt homo ſinè gratuita prædeſtinationis gratia liberè ſalutem aſſequatur, *libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, plenam habendi cum immortalitate iuſtitiam.* Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum num. 92. quia attentâ naturæ lapſæ infirmitate, concupiſcentiâ, paſſionibus *&c.* impoſſibile eſt ipſam gratiæ ſufficienti, quam habet ad ſingula opera bona diſtributiuè, perſeueranter correſpondere, niſi gratiâ prædeſtinationis confortetur: dicendo 3. hic de gratia prædeſtinationis philoſophandum, vt minus poſſibile ſit hominem prædeſtinatum ſine gratia Chriſti inſtructum non correſpondere vni ex omnibus gratijs prædeſtinationis collectiuè ſumptis, quam aleas iacientem non ſemel habere numeros pares inter omnes aleæ iactus collectiuè ſumptos: iſta, inquam, dicendo, docemus cum Aug. de cor. & gra. c. 2. 8. & 14. Item de prædeſt. SS. c. 8. *&c.* gratiam prędeſtinationis præbere vires efficaciſſimas volũtati, & quidquid ſuppoſito primo ad Luct. 3.

illi

illi attributum eſt : iſta 3. inquam dicendo, loca in maiori allata optimè conciliamus, ergò *&c.*

CXXXII. Obijcies 1. Ex D. Pariſienſi ſepius allato c. 8. quoties Auguſtinus mouet quæſtionem, cur non iuſtè murmurent illi, qui auxilia interna non habent, vt benè faciant; non recurrit ad gratiam verſatilem in liberi arbitrij cuiuſque nutu poſitam, per quam benè facere poſſit; ſed ad inſcrutabilia iudicia & peccati maſſam, cum Beato Paulo confugit : ergò non omnes habent gratiam ſufficientem verſatilem.

CXXXIII. Reſp. Auguſtinum ad inſcrutabilia iudicia Dei & peccati maſſam tantum confugere, dum quæſtio mouetur an vnus prædeſtinetur præ alio, eligatur præ alio, gratiam Chriſti habeat præ alio? quia autem haberi poteſt gratia ſufficiens verſatilis ad omnia opera bona diſtributiuè ponenda, ſinè gratia prædeſt. electionis &c. meritò in ſimilibus quęſt. ad gratiam ſufficientem verſatilem non confugit, ſed ad inſcrutabilia iudicia & peccati maſſam; vt patet ex Epiſt. 105. ad Sixtum, *ſed excuſabunt ſe homines, qui nolunt rectè & fideliter viuere, dicentes; quid nos fecimus, qui malè viuimus, quandoquidem gratiam, vndè benè viueremus, non accepimus? non poſſunt veraciter dicere, nihil mali ſe facere, quia malè viuunt. Si enim nihil mali faciunt, benè viuunt: ſi autē malè viuunt, de ſuo male viuunt, vel quod originale traxerunt, vel quod inſuper addiderunt. Sed ſi vaſa ſunt iræ, quæ per-*

perfecta ſunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, meritò Deus iuſtèq; damnauit. Si autem vaſa ſunt miſericordiæ, quibus ex eadem maſſa factis ſupplicium debitum reddere noluit, non ſe inflent, ſed ipſum glorificēt, qui eis miſericordiam non debitā præſtitit, & ſi quid aliter ſapiunt, & hoc quoque illis ipſe reuelauit. Poſtremo quo nam ſe iſti excuſabunt modo? nempè illo, quem breuiter tamquam ex eorum voce ſibi obiecit Apoſtolus, vt dicāt; quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis reſiſtit? hoc eſt enim dicere: quid de nobis fit quærela, quod Deum offendamus malè viuendo, cum illius voluntati nemo poßit reſiſtere, qui nos obdurauit, miſericordiam non præſtando? ſi ergò illos non pudet hac excuſatione, non nobis, ſed Apoſtolo contradicere, cur nos pigeat eis, quod dixit Apoſtolus, hoc idem atque identidem dicere; O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum,&c. ſi autem quæras 1. an nō ſaltem iuſta eſſet excuſatio,& murmuratio illa? audi quod ſequitur. *nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet, non indè iam gratia, ſed iuſtitia liberaret, cum vero non liberat niſi gratia, nihil iuſtū inuenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem: nam ſi hæc iuſta eſt, quiſquis ea vtitur, merito, non gratia liberatur. Nouimus enim liberari per gratiam Chriſti quoſdam etiam eorū qui dicunt, quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius*

quis

quis reſiſtit? quæ ſi iuſta eſt excuſatio, non iam gratuitâ gratiâ, ſed propter huius excuſationis iuſtitiam liberantur. ſi autem gratia eſt quâ liberantur, profecto hæc excuſatio iuſta non eſt. ſi quæras 2. cur non dicamus gratiam illam prædeſtinationis, electionis *&c.* eſſe debitam ex hypotheſi, qua Deus voluit hominem lapſum à perſeuerantia cadendo peccare, prout plures dicunt, & rectè probat Author libri de Hæreſis Pelagianæ ac Semipelagianæ Arcanis, gratiam ſufficientem verſatilem ad omnia opera bona diſtributiuè eſſe debitam ex hypotheſi, quâ Deus voluit hominem ab obſeruantia cuiuſque præcepti cadendo peccare; Reſpondeo, quia ad vtrumque gratia verſatilis ad omnia opera bona diſtributiuè ſufficiens ſufficit, & ad neutrum requiritur gratia prędeſtinationis, electionis *&c.* licet ad perſeuerantiam finalem requiratur, prout demonſtrat præfatus Author de Hæreſis Pelagianæ Porta 1. Obſer. 7.

CXXXIV. Obijcies 2. Ex eodem cap. 10. ſi quæratur cur, cum Deus, gratiam homini negat, qua non adiutus non poteſt proximè aliquod præceptum implere vt oportet, culpa ſit hominis peccantis; non reſpondet Auguſtinus ſuppoſitum eſſe falſum, quia nempè nulli homini Deus gratiam negat, qua adiutus poſſit proximè adimplere præceptum vt oportet; prout reſpondere in noſtra ſententia tenemur; ſed id eſſe pœnam peccati, iuxtà id quod lib. de perfect. iuſtitiæ ad ratio-

tio-

tiocinationem 9. 13. & 15. Cæleſtij reſpondet, ergò *&c.*

CXXXV. Reſp. Auguſt. ad quæſtionem iſtam meritò reſpondere id eſſe pœnam peccati, nec reſpondere poſſe ſuppoſitum eſſe falſum, nempè quia Deus nulli homini negat gratiam, quâ adiutus poſſit proximè adimplere præceptum; neque hoc reſpondemus: ratio primæ partis eſt, quia non habere gratiam, qua homo adiutus poteſt proximè adimplere aliquod præceptum, vt oportet, eſt non habere gratiam perſeuerantiæ, prædeſtinationis &c. prout Aut. citatus Chyſ. 133. oſtendit: Deus autē in pœnam peccati negat gratiam perſeuerantię, non prędeſtinat, non eligit &c. vt conuincunt Reſponſiones ad Cœleſtium obiectæ: ratio ſecundæ partis eſt, quia conſtat ex Auguſtino Deum omnibus reprobis negare gratiam, qua adiuti poſſent proximè aliquod præceptum implere vt oportet, ideſt, perſeueranter vt oportet ad ſalutem conſequendam, pro quo vide Authorem iam citatum dicta Obſer. 7. ratio tertiæ partis eſt, quia vbique expreſsè cum Aug. negamus Deum velle æqualiter omnes ſaluos fieri, iuxtà illud Auguſtini de correp. & gratia cap. 14. *ita dictum eſt omnes homines vult ſaluos fieri, vt intelligatur omnes prædeſt.* item pro reprobis mortuum eſſe, omnes beneficium mortis eius accipere &c. & ex profeſſo affirmamus gratiam, qua adiutus homo aliquod præceptum proximè implere poſ-

ſit

ſit vt oportet ad ſalutem aliquando conſequendam, eſſe Chriſti, prædeſtinationis, perſeuerantiæ, electionis &c. quam non eſſe omnibus conceſſam, vbique Catholicè negamus: ex his autem patet cur Auguſtinus ad Iuliani ſibi obiectam peccati definitionem, nempè *peccatum eſt voluntas admittendi vel retinendi quod iuſtitia vetat; & vndè liberum eſt abſtinere.* Reſpondeat *hic peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt; non quod etiam pœna peccati.* quia videlicet non prædeſtinari, non eligi, non habere gratiam qua homo adiutus poteſt proximè aliquod præceptũ adimplere vt oportet ad ſalutem aliquando conſequendam, pœna peccati eſt, à qua non eſt homini liberum abſtinere, quia prædeſtinari, eligi, eſt ex pura ſiue gratuita Dei gratia, non ex libertate humana, vt continuo clamat Auguſtinus, nominatim Epiſt. 105. ad Sixtum & plurimis alijs locis, quæ præfatus Author Portâ 1. citata Obſer. 6. refert.

CXXXVI. Obijcies 3. Ex eodem cap. 11. quæſtio eſt inter nos de gratia, *quæ ad bonæ voluntatis initium, & ad Deum orandum neceſſaria eſt, ac de ſancti Auguſtini circà hanc gratiam doctrina? vbi autem (amabo) inquirenda maximè eſt? in ijs certè libris in quibus de hâc gratiâ ſanctus Auguſtinus ſcribere ſingulariter ac præcipuè inſtituit. Hoc autem egit in libris de corrept. & grat. de prædeſt. SS. ac de dono perſeu. in quibus oſtendit Adrumetinis*

&

& Maßilienſibus fidem inchoatam, ac omne bonæ voluntatis initium; pietatem, qua quærimus, pulſamus, ſeu orationem; ac in illis perſeuerantiam nobis à Deo per gratiam præuenientem donari. hic eſt iſtorum librorum ſcopus, hoc argumentum: quis igitur non fateatur vbi hæc veritas inquiritur, vbi ſancti Auguſtini circà hanc quæſtionem mens, & doctrina indagatur, hos potißimum libros conſulendos eſſe, eumq́; proindè omni ſancti Auguſtini auctoritate deſtitui, qui ad alià opera, his omninò prætermißis hâc in quæſtione confugit. Scilicet gratia ad incipiendum & ad orandum ſufficiens ſolum eſt, & libero ſubiecta arbitrio: hæc ſancti Auguſtini dubio procul doctrina eſt: ſanctus Auguſtinus gratiam Dei ad orandum, & ad incipiendum in tribus illis libris conſtituit, confirmatq́; nec tamen poteſt in eis talis gratia verſatilis inueniri, deprehendi, aut ei illis vel vnico teſtimonio probari: quis tam præfractus ac peruicax vt hoc vel ſuſpicetur? portenti loco eſſet gratiam verſatilem ad incipiendum, & ad gemendum à ſancto Auguſtino adſtrui, & de hac illum ſiluiſſe omninò in his libris, in quibus ad errores confutandos, gratiam ad incipiendum, & ad orandum expreßè ac exquiſitè confirmat, ergò *&c.*

CXXXVII. Reſp. Doctorem Pariſienſem hic à verò multum errare, dum ſupponit in libris iſtis ex profeſſo agi de quacumque gratia hominis lapſi; cum tantum agatur de gratia Chriſti prædeſtinationis, perſeuerantiæ &c. prout rectè pro-

probat Author obiectione præcedenti citatus Obſer. 6. & 7. quæ tamen cum in ſe ſit ſufficiens & verſatilis attendendo ad omnes, ex quibus conflatur, diſtributiuè ſumptas; licet ob ſui multiplicationem donec homo cooperetur, & attendendo ad omnes, ex quibus conflatur, collectiuè ſumptas, ſit efficax; non omittit iſtis in libris de hac gratia iſto ſenſu ſufficienti & verſatili, & hoc ſenſu efficaci agere; vti nec in Epiſtolis ad vitalem & Sixtum, in quibus etiam de initio piæ voluntatis, ac orationis dono, ſingulariter agitur. ex præmiſſis autem.

CXXXVIII. Colliges non ſatis ſtudiosè & prudenter à Doctore iſto Pariſienſi lib. citato cap. 10. dici, *numquam verò aut hic aut alibi reperies apud ſanctum Auguſtinum liberum arbitrium, ſeu ſecundùm ſe conſideratum, ſeu ſecundùm hominis lapſi ſtatum, in hoc ſitum eſſe, vt ſit voluntas quaſi in æquilibrio inter bonum & malum ſuſpenſa, & vt ſit in homine Dei gratia adiuto, ſe in quamlibet partem ſeu in bonum ſeu in malum pro nutu ſuo flectere,* quia de contrario manifeſtè conſtat ex probat. 1. 2. 3. Luct. 3. imò & ex locis Luct. hac citatis; & licet id nuſquam explicitè doceret, quod id vbique implicitè doceat, ad præmiſſa attendendo, negari non poteſt.

PRO-

PROBATIO II.

Quoad Diuum Thomam.

CXXIX. PRobatur 1. Diuus Thomas quæſt. 6. de verit. art. 3. in corpore, poſtquam dixit. *difficile videtur concordare infallibilitatem prædeſtinationis, cum libertate arbitrij. non enim poteſt dici, quod prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ, vt ſi dicatur, quod Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium: ſed cum hoc prædeſtinato ſcit, quod non deficiet à ſalute: ſic enim dicendo non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis: ſed tamen ex parte præſcientiæ euentus, & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis: nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contrà auctoritatem ſcripturæ, & dicta Sanctorum. vnde præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem, nec tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſario: ſed contingenter, ſcilicet liberum arbitrium. quod hoc modo poteſt conſiderari. Inuenimus enim ordinem compoſſibilem eſſe reſpectu alicuius dupliciter. vno modo. in quantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ. alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium,*

& deficere poſsibilium, peruenitur ad vnum effectum; quarum vnamquamq; Deus ordinat ad conſecutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat. ſicut videmus, quod omnia ſingularia vnius ſpeciei ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſsionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecundum numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei, diuinâ prouidentiâ taliter gubernante, quod non omnia deficiant vno deficiente, & hoc modo eſt in prædeſtinatione: liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute, tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat (nota) *quod vel non cadat, vel ſi cadat, quod reſurgat: ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem. ſi ergò conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrij non habet certitudinem, ſed contingentiam. Reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.* & ad quartum, *dicendum, quod cauſa ſecunda, quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, & ordini prædeſtinationis ſubiacet, non autem eſt ita in virtutibus inferioribus reſpectu alicuius ſuperioris virtutis agentis. & ideò ordo diuinæ prædeſtinationis, quamuis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ, nihilominus tamen abſolutam habet certitudinem, etſi in exemplo inducto contrarium appareat.* quibus euidentius nihil adferri poſſet pro Reluctatione præſenti, ergò *&c.*

CXL. Probatur 2. Ex eodem 1. p. quæſt. 19. artic.

artic. 8. in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod diuina voluntas quibuſdam volitis neceßitatem imponit, non autem omnibus; cuius quidem aliqui* (qui iſti ?) *rationem aßignare voluerunt ex cauſis medijs* (inter quas conclude quoduis iudicium ad actum volũtatis pręuium iuxta dicta ſuprà Chyf. 114. & 116.) *quia ea quæ producit per cauſas neceſſarias, ſunt neceſſaria: ea verò quæ producit per cauſas contingentes ſunt contingentia* (ſed audi, quomodo rationem iſtam refellat) *hoc non videtur ſufficienter dictum, propter duo: primò quia effectus alicuius primæ cauſæ eſt contingens propter cauſam ſecundam, ex eo quod impeditur effectus cauſæ primæ per defectum*; id eſt per non actionem *cauſæ ſecundæ, ſicut virtus ſolis per defectum*, id eſt; per non receptionem; *plantæ impeditur*; quaſi diceret; effectus cauſæ primæ non eſt contingens propter cauſam primam agentem per cauſas contingentes; quia his poteſt neceſſitatem imponere; ſicuti neceſſarijs : ſed effectus cauſæ primæ eſt contingens propter cauſam ſecundam ſic agentem; vt effectum cauſæ primæ pro ſua actiua libertate impediat; in id autem directè impingunt Thomiſtæ phyſicè Præmotores; vti & Ianſeniſtæ; *nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum* non contingentẽ (alioqui ſibi contradiceret) *producat. ſecundò quia ſi diſtinctio contingentium à neceſſarijs referatur ſolum in cauſas ſecundas*. id eſt in eo quod cauſæ ſecundæ ſint con-

tingẽtes, *ſequitur hoc eſſe prater intentionem & voluntatem diuinam.* quia ſiue effectus contingens à Deo intendatur, ſiue non, equidem erit contingens, in quod etiam impingunt dicti Authores: rationem autem quam ſanctus Thomas adfert, audiamus. *& ideò melius dicendum eſt, quod hoc contingit propter efficaciam diuinæ voluntatis. cum enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam: non tantum ſecundùm id quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi, vel eſſendi: ex debilitate enim virtutis actiuæ in ſemine contingit quod filius naſcitur diſsimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Cum igitur voluntas divina ſit efficaciſsima, non ſolum ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſario, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi.* modum autem, ab Aduerſariorum præmotionis modo, ſummè abſonum, & Reluct. noſtræ ſummè conſonum ſubdit. *& ideò quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſsitate proueniunt; quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant. non igitur proptereà effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingẽtes:* (nota) *ſed proptereà, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos præparauit.* & iterum

infrà

infrà *ad 2. dicendum, quod ex hoc ipſo, quod nihil voluntati diuinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolum fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter vel neceſſario, quæ ſic fieri vult.* reuerâ non poſſet Diuus Thomas aduerſariorum ſententiam clarius reijcere, & noſtram fortius firmare, in illiſque loquitur omninò conſonanter Auguſtino de cor. & gratia c. 14. *qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium* ſaluâ libertate, *quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimā poteſtatem*, ergò *&c.*

CONFIRMATIO

A Ratione.

CXLI. Confirmatur vtraque probatio. Luct. ſeq. probabitur hominem lapſum prædeſtinatum, ità debere cooperari gratiæ, vt in ſenſu compoſito gratiæ maneat liber libertate electiua ad cooperari vel nō cooperari, haud ſecus quam aleator, ità cooperatur aleis, vt in ſenſu compoſito alearum maneat liber libertate electiua ad iacere vel non iacere: atqui ſi aleator ſtante hâc ſuâ electiuâ libertate velit certò & infallibiliter medijs aleis numeros pares obtinere, id efficaciſſimè, nec aliter ſtante iſta libertate efficacius, eos obtinebit, quam per continuos alearum iactus donec obtineantur; nec diu, attentâ alea-

rum inſtabilitate, iaciet aleas, quin eos obtineat: ità ſi Deus ſtante iſta hominis lapſi prædeſtinati electiua libertate, certò & infallibiliter velit, medijs gratijs ſecundùm ſubſtantiam ſufficientibus tantum, opus ſalutiferum obtinere, id efficaciſſimè, nec aliter ſtante iſta libertate efficacius, obtinere poterit, quam per continuas gratiarum ſecundùm ſubſtantiam ſufficientium largitiones, donec ſequatur; nec attentâ inſtabilitate noſtræ voluntatis multas largietur, quin illud ſequatur; iſta autem eſt ſententia, quam defendimus, ergò *&c.*

CXLII. Obijcies tamen primò, numeri pares vel impares non ſunt in manu aleatoris in ſenſu cōpoſito alearū, ſic vt pares habeat, ſi ex ſe medijs aleis velit; impares, ſi ex ſe medijs aleis velit: ergò neque opus ſalutiferum, ad quod gratia Chriſti terminatur, ſic eſt in manu hominis lapſi in ſenſu compoſito gratiæ, vt opus ſalutiferum ponat, ſi ex ſe & gratia Chriſti velit; non ponat, ſi ex ſe nolit.

CXLIII. Reſp. Negando conſequentiam, non enim volumus aleas aleatoris manui, vt gratiam voluntati, ſubijci; ſed gratiam ità voluntati ſubijci, vt ſi multiplicetur donec ſequatur opus ſalutiferum, certò & infallibiliter opus ſalutiferum inferat; prout alearum iactus multiplicati donec numeri pares obtineantur, certò & infallibiliter numeros pares inferunt: deindè ad hoc

vt

vt comparatio noſtra ſubſiſtat, planè impertinens eſt aleas ſic aleatori ſubijci, vt quando & quoties vult, numeros pares obtineat, ſed abundè ſufficit, ſic eas illi ſubijci, vt eas iaciat, vel non iaciat quando & quoties vult, & illæſo ac permanente alearum inſtabilitate, & ſecundùm ſubſtantiam inefficaciâ ad dandos numeros pares, illi efficaciſſimè obtineantur, ſi eas iaciat & iactus multiplicet donec obtineantur: quia ſic ſimiliter, quando & quoties voluerit Deus gratias ſuas ſecundùm ſubſtantiam ſufficientes multiplicare donec opus ſalutiferum ſequatur, illæsâ ac permanente ſufficientiâ & gratiæ ſecundùm ſubſtantiam inefficaciâ, efficaciſſimè opus ſalutiferum obtinebitur ſaluâ operantis vtrobique libertate.

CXLIV. Obijcies ſecundò. Ex Epiſtolica Reſponſione Doctoris cuiuſdam Louanienſis ad Eximios DD. Randour, & Couuerden Facultatis Duacenæ Profeſſores cap. 5. vel vltima determinatio & vltimus flexus, quo voluntas ipſo facto in actum ſuum ingréditur, à nobis tribuitur gratiæ, vel non? ſi primum, ita Ianſeniſtæ & antiqui Thomiſtæ, neque ſic eſt vlla neceſſitas multiplicationis gratiarum de qua in Reluct. ſi ſecundùm, ità Moliniſtæ, qui vltimam iſtam Dei determinationem, ſic adhuc ſuſpendunt, vt nouiſſimum liberi arbitrij officium ſit, ſe & gratiæ auxilium in eam demittere, ergo *&c.*

CXLV. Reſp. vltimam determinationem, & vltimum flexum, quo volũtas ipſo facto in actum correſpondentem omni gratiæ gratiam prædeſtinationis conflanti diſtributiuè ſumptæ ingreditur, tribui voluntati; ſed addo gratiam illam vt ſic non eſſe gratiam prædeſtinationis gratiam conflantem, magis quam vnitas diſtributiuè ſumpta, quomodo ſeorſim ab alijs vnitatibus ſpectatur, ſit ternarium conflans: vltimam verò determinationem & vltimum flexum, quo voluntas ipſo facto in actum correſpondentem omni gratiæ gratiam prædeſtinationis conflanti collectiuè ſumptæ, ingreditur, tribui gratię; & quia vt ſic cõiunctim cum alijs gratijs ſpectatur, gratia vt ſic eſt gratia gratiam prædeſtinationis conflans, & præbens voluntati noſtrę vires efficaciſſimas, eamque ad opus ſalutiferum determinans; determinans inquam, quia imprimis voluntatis actum ſupernaturalem, per modum cauſæ efficientis præcedit, & infallibiliter infert, non quidem gratiâ infallibiliter neceſſario volitionem, ſeu voluntatis determinationem formalem ſibi ſubijciente, eo modo, quo cauſa neceſſaria ſibi effectum ſuum ſubijcit, vt docere tenentur Authores præmotionis phyſicæ & gratiæ phyſicę efficacis, quia id libertatem tollit; neque volitione ſibi ſubijciente omnem gratiam illam collectiuè ſumptã; quomodo viator ſuos greſſus omnes collectiuè ſumptos ſibi ſubijcit, quod docere videntur alij, quia id gratiæ

præ-

prædeſtinationis efficaciam non ſaluat;ſed gratiâ ſibi ſubijciente volitionem, eo modo quo iactus aleæ multiplicati, donec numeri pares obtineantur, ſibi numeros pares ſubijciunt, puta infallibiliter contingenter.

CXLVI. Inſtabis vltima determinatio & vltimus flexus, quo voluntas ipſo facto in actum correſpondentem omni gratiæ gratiam prædeſtinationis conflanti collectiuè ſumptæ ingreditur, eſt à prima, vel à ſecunda, vel à tertia gratia ſufficiente, & ſic de cæteris, vel ab omnibus ſimul & ſemel collatis? ſed nihil illorum dici poteſt, ergò *&c.* probatur minor, non primum, quia & prima,& ſecunda gratia ſufficiens &c. per voluntatem poteſt remanere inefficax, & efficax non eſt,niſi voluntatis determinatione;ac proindè de illa verificari non poteſt, quod voluntati præbeat vires efficaciſſimas: neque etiam ſecundùm, quia vel determinatio illa eſſet ab omnibus ratione omnium ſimul & ſemel? & hoc non, alioqui quælibet eſſet efficax; vel ratione vnius? & hoc etiam non, vt ſuprà dictum eſt, ergò *&c.*

CXLVII. Reſponſ. Vltimam determinationem &c. eſſe ab ea gratia ſecundùm ſubſtantiam ſufficienti, cui voluntas ipſo facto cooperatur, gratiam illam ſumendo, non diſtributiuè & ſeorſim ab alijs, quia vt ſic nullam efficaciam habet, ſed collectiuè & coniunctim cum alijs, quomodò habet efficaciam moraliter infallibilem; ſicut

enim

enim quilibet iactus aleæ diſtributiuè & ſeorſim ab alijs ſumptus, non habet efficaciam moraliter infallibilem ad dandum numeros pares, illam tamen habet ſumptus collectiuè & coniunctim cum alijs multiplicatis donec obtineantur; vnde fit quod iactus ille quo obtinentur, ſit neceſſario & infallibiliter efficax per accidens ſiue propter cōiunctionem cum præteritis aut futuris iactibus, aleæ inſtabilitate aliundè præſuppoſitâ, & non per ſe præcisè: ità etiam quælibet gratia ſecundùm ſubſtantiam ſufficiens diſtributiuè & ſeorſim ab alijs ſumpta, non habet efficaciam moraliter infallibilem ad determinãdum voluntatem, illam tamen habet ſumpta collectiuè & coniunctim cum alijs ſimul aut ſucceſſiuè multiplicatis, donec determinatio voluntatis obtineatur; vndè fit quod gratia illa, quâ determinatio voluntatis obtinetur, ſit neceſſariò & infallibiliter efficax per accidens, id eſt propter conjunctionem cum gratijs alijs collatis & conferendis, inſtabilitate voluntatis aliundè præſuppoſitâ, & non per ſe præcisè, vt docent Ianſeniſtæ & antiqui Thomiſtæ: neque puto fore (ſaluo meliori iudicio) vt clarius, & Auguſtino, Diuo Thomæ, & Decretis Pontificijs conſonantius concilietur libertas cum efficacia gratiæ, quam iſto modo, quandoquidem, vt ſuprà Obſer. 1. & 3. oſtendimus, non poſſit eſſe phyſicè efficax, ſed media eſſe debeat inter efficacem phyſicè & inefficacem moraliter,

quam ſolam compatitur agens per modum voluntatis, ſiue medio modo inter modum agendi naturæ & inefficacis cauſæ moralis: ex quo euidenter ſequitur, quod tantum eſſe poſſit contingenter moraliter efficax; ſiue ſic efficax, vt actiuam contingentiam & libertatem (vtpotè determinans ad agendum per modum voluntatis ac contingenter, & non per modum naturæ ac neceſſariò ſimpliciter) in voluntate determinata relinquat.

LVCTATIO VLTIMA.

An definitio, qua liberum electiuum (prout opponitur libero ex propenſione naturali voluntatis) definitur, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt *ex proprio operandi modo (prout opponitur operandi modo ex propenſione naturali voluntatis)* agere vel non agere, *intelligi debeat in ſenſu compoſito, an in diuiſo.*

Antè Reluctationem.

CXLVIII. SVppono 1. Opera ſalutifera, ſiuè ex Chriſti gratia non termina-

nare. liberum quâ tale ex propenſione naturali voluntatis, quomodo finis vltimus illud terminat, ſed qua electiuum, ſeu electiuè liberum, vt omnes fateri tenentur.

CXLIX. Suppono 2. Clarum eſſe definitionem illam non poſſe intelligi in ſenſu compoſito actionis & non actionis cum prærequiſitis copulatim ſumptarum, quia vti actio & nō actio copulatim ſumptæ ſimul repugnant, ita & ille ſenſus compoſitus: vndè ſenſus compoſitus eſſe debet vel potentiæ cum prærequiſitis, vel potentiæ & prærequiſitorum cum vtralibet indifferenter actione vel non actione. hoc ſuppoſito ſit.

RELVCTATIO I.

CL. Dico 1. Intelligere definitionem liberi electiui in ſenſu compoſito potentiæ cum prærequiſitis non ſufficit.

CLI. Probatur 1. Quia alioqui non video, cur bruta non ſint libera electiua? quandoquidem in brutis ſit potentia ad agendum, vel non agendum in ſenſu compoſito potentiæ cum prærequiſitis, ſic nempè vt manentibus prærequiſitis, in brutis ſit eadem potentia ad non agere, quæ eſt ad agere; ſicuti manentibus prærequiſitis, in homine eadem eſt potentia ad non agere, quæ eſt ad agere, ergò *&c.*

Nec

C L I I. Nec reſpondeas, ideò bruta non eſſe libera electiua, quia inter prærequiſita ad agere vel non agere brutorum, non numeratur iudicium indifferens ad multa, ſiue ex collatione multorum iudicans, prout numeratur inter prærequiſita ad agere vel non agere hominis liberum, propter quod homo eſt agens liberum electiuum, non verò bruta, vt patet ex dictis ſupra. ne id, inquam, reſpondeas, quia (præterquam quod intellectus in eligibilibus, non conferat oppoſita deliberationis iudicia, ſuper illis per tertium practicum reflectendo, niſi per liberum electiuum imperium voluntatis, ad quod præſuppoſitiuè reducitur tota difficultas) ſequeretur primò intellectum eſſe liberum electiuum, non verò voluntatem; vel ſaltem ſequeretur appetitum ſenſitiuum hominis eodem iudicio indifferenti motum, quo appetitus eiuſdem rationalis mouetur, eſſe liberum electiuum. ſequeretur ſecundò voluntatem ſtante iudicio practico indifferenti, etiam ſub coactione vel concurſu Dei determinato ad vnum, eſſe liberam electiuam; quæ ſequelæ mihi perabſurdę videntur. vide prętereà dicta ſ. Chyſ. 114.& 116. nè alioqui authoritate D. Thomæ abutaris.

C L I I I. Probatur 2. Quia alioqui nihil eſſet, quod tollere poſſet libertatem eius, quod ſecundùm ſe eſt liberum electiuum, ſed hoc nullus dixerit ergò &c. probatur ſequela maioris, quia

in ſenſu compoſito cuiuſcumque cogētis & quomodocumque determinantis ſub iudicio indifferenti, liberum electiuum ſemper idem eſt ad non agere; quod eſt ad agere, quia potentia ad oppoſitum & quodcumque cogens ac quomodocumque determinans non opponuntur inter ſe; ergò *&c.*

RELVCTATIO II.

CLIV. DIco 2. Definitio liberi electiui omninò intelligi debet in ſenſu compoſito potentiæ & prærequiſitorum cum vtralibet indifferenter actione vel non actione; ſic vt iiſdem prærequiſitis permanentibus vtralibet actio vel non actio indifferenter poni poſſit.

CLV. Probatur 1. Ex Scriptura. Eccleſiaſt. 15. dicitur; *Deus appoſuit tibi aquam & ignem ad quos volueris porrige manum: antè hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Marc. 13. *dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſq; operis.* Ioan. 10. *poteſtatem habeo ponendi, animam meam; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam* &c. ſed ly *volueris. placuerit. poteſtas cuiuſque operis. poteſtas ponendi & retinendi animam.* verificari non poteſt niſi in ſenſu compoſito potentiæ & prærequiſitorum cum vtralibet indifferenter actione vel non actione, ſic vt iiſdem

ijſdem prærequiſitis permanentibus vtralibet indifferenter poni poſſit, ergò *&c.* conſequentia eſt legitima: probatur minor, quia vel inter prærequiſita nullum eſt phyſicè prædeterminans; vel vnicum eſt ad vnam tantum partem phyſicè prædeterminans; vel vnum ad vnam partem, & vnum ad aliam: ſi primum, clarum eſt iſta verificari in ſenſu compoſito potentiæ & prærequiſitorum cum vtralibet indifferenter actione vel non actione; ſi ſecundum, quæro quomodo verum ſit *ad quod volueris porrige manum,* quia non eſt quomodo voles aut manum porriges ad alteram partem, ad quam nihil eſt phyſicè prædeterminans: ſi tertium, quomodo alterutrum tantum voles, aut ad alterutrum tantum porriges manum, vti per ſcripturam potes? vrge proportionaliter alià loca, ergò *&c.*

CLVI. Probatur 2. Ex Patribus, ea quorum Domini ſumus, ſiue quorum habemus Dominij poteſtatem, ſunt ea primò; quorum ex æquo Domini ſumus iuxtà illud Clementis Alexandrini Stromat. lib. 4. *id eſt in noſtra poteſtate, cuius ex æquo ſumus* Domini, *& eius quod ei aduerſatur, vt philoſophari vel non, credere vel non credere.* 2. quæ per æquè in vtramque partem contingere poſſunt, iuxta illud Damaſceni Orthod. fidei lib. 2. cap. 26. *propriè in noſtra poteſtate conſiſtunt omnia illa, quæ ad animum ſpectant. & de quibus deliberamus: conſilium porro & deliberatio*

de

de his rebus ſuſcipitur, quæ per æquè in vtramque partem contingere poſſunt. 3. ſunt ea, quorum poſſumus hoc vel illud eligere, iuxta illud D. Thomæ 1. part. quæſt. 82. artic. 1. ad 3. *ſumus Domini noſtrorum actuum ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere.* & ibidem quæſt. 83. artic. 2. in corp. *liberum autem arbitrium indifferenter ſe habet ad benè eligendum vel malè.* atqui *ea quorum ex æquo Domini ſumus; quæ per æquè in vtramque partem contingere poſſunt; quorum poſſumus hoc vel illud eligere* &c. verificari non poſſunt niſi in ſenſu compoſito potentiæ & prærequiſitorum indifferenter ad vtramque partem, ergò *&c.* probatur minor quia ſi ſint tantum prærequiſita ad vnam partem, *ea quorum Domini ſumus* &c. non erunt *ea quorum ex æquo Domini ſumus*, ſed quorum vnius tantum Domini ſumus, in quo eſt contradictio in terminis, & liberum confundit cum neceſſario, præſertim cum 1. part. quæſt. 82. art. 1. ad 3. S. Thomas dicat: *appetitus vltimi finis, non eſt de his quorum Domini ſumus*: item, non erunt *ea, quæ per æquè in vtramque partem contingere poſſunt.* quia vnum ſub iſtis prærequiſitis in ſenſu compoſito contingere poterit, aliud non ergò *&c.*

CLVII. Dices tamen, prærequiſita ad vnam partem tantum, nec poteſtatem ad duo, nec per æquè in vtramque partem contingere poſſe, auferunt; ſed tantum inferunt vnum liberè infallibiliter

liter ſequi,& aliud non ſequi in ſenſu compoſito; ergò *&c.*

CLVIII. Diſtinguendo aſſumptum, prærequiſita ad vnam tantum partem, nec auferunt in ſenſu compoſito poteſtatem remotam & radicalem ad duo, concedo aſſumptum; proximam & expeditam, nego aſſumptum; quia ſicut per te priuatio prærequiſitorum ad vnam partem tantum in ſenſu compoſito aufert poteſtatem proximam & expeditam ad vnum; ita priuatio prærequiſitorum ad duo, per te in ſenſu compoſito auferre debet poteſtatem proximam & expeditam ad duo; quia ſicuti ad vnum prærequiſita in ſenſu compoſito ſe habent ad vnum; ita proportionaliter ad duo prærequiſita in ſenſu compoſito ſe habent ad duo; ex proxima autem & expedita poteſtate iudicandum de libero electiuo; quia (præter-quam-quod ablatis ad vtramque partem prærequiſitis, nullus dicet me Dominum vtriuſque partis, propter potentiam remotam & radicalem remanentem; ita nec vllus dicet me, poſitis prærequiſitis ad vnam partem tantũ, & ad aliam ablatis; eſſe vtriuſque partis per æquè Dominum) ex actu potentia dignoſcitur; vnde S. Thomas, vt manifeſtè colligitur ex quæſt. 10. de pot. art. 2. ad 3. & ad 4. ſed clarius ad 7. & clariſſimè 1. 2. q. 10. art. 1. ad 1. & art. 4. in corp. imo & q. 6. de malo art. 1. in corp. docet, *ea agere per modum naturæ, quæ ex proprio*, id eſt, *diſtinctiuo ſuo ope-*

randi modo ſunt determinata ad vnum, & è contrà, *per modum voluntatis, quæ ex proprio diſtinctiuo ſuo operandi modo ſunt indeterminata ad vnum*; & meritò, quia alioqui nihil prohiberet me dicere omnem potentiam proximam & expeditam agentem per modum naturæ, remotè & radicaliter eſſe poteſtatem ad duo inſtar voluntatis; quia licet fides doceat voluntatem eſſe poteſtatem liberam, non determinat tamen, an vt libera poteſtas ſit ad vnum tantum, an ad duo? an ſecundum potentiam remotam & radicalem? an ſecundum proximam & expeditam? ſed nobis id ita explicandum relinquit, vt potentiam liberam non confundamus cum neceſſaria illi oppoſita, quam cum reuerâ confundãt illi, qui ſolam & radicalem poteſtatem ad duo in voluntate agnoſcunt; nihil prætérquam illud prohibet me dicere omnem potentiam proximam & expeditam agentem per modum naturæ, ac proindè ignis calefactiuam, canis cõmeſtiuam &c. remotè & radicaliter eſſe poteſtatem ad duo, inſtar voluntatis, imò & proximè in ſenſu diuiſo (vt aiunt) præmotionis phyſicè ad vnum determinantis; quod eſt confundere naturam cum voluntate, naturalia cum liberis &c.

CLIX. Inſtabis iuxta principia Auguſtini, Proſperi & Fulgentii nulla gratiæ efficacia, nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt; ſed ſola vis, coactio & neceſſitas violentiæ,

quæ

quæ videlicet, vt ipſe Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 10. loquitur, non eſt in noſtra pôteſtate, ſed etiamſi nolumus (hoc eſt, nobis inuitis & nolentibus ac reluctantibus) efficit id quod poteſt; reliquam vero quamcumque & quantamcumque neceſſitatem, ſecundùm quam dicimus, neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid vel fiat, neſcio cur ita timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis, ergò *&c.*

CLIX. Reſp. Conceſſo antecedente, negando conſequentiam, quia efficaciam gratiæ phyſicam non eſſe in noſtra poteſtate conuincunt authoritates Chyſ. 156. citatæ; deinde illa, ſemper nobis nolentibus efficit id quod poteſt, quia reuerâ *nolumus* prout actui libero opponitur, (quomodo hic conſiderari debet) eſt *agere* per modum naturæ; illud vero agit per modum naturæ juxta D. Thom. qu. 10. de pot. art. 2. ad 3. & ad 4. 1. 2. qu. 10. art. 1. ad 1. & art. 4. in corp. item q. 6. de mali art. 1. in corp. ſed clariſſimè qu. 10. de pot. art. 2. ad 4. & qu. 22. de verit. art. 5. ad 5. quod ex proprio id eſt diſtinctiuo operãdi modo eſt determinatum ad vnum. per modum voluntatis è contrà, quod ex proprio ſuo operandi modo eſt indeterminatum ad vnum. hoc autem voluntati ſub gratia phyſicè efficaci, ſub qua habere debet proprium operãdi modum id eſt quo diſtinguitur ab agentibus per modum naturæ, negas, illud concedis, & meritò, quia voluntas

ſub illa agit ad modum gratiæ, quæ agit per modum naturæ.

CLX. Probatur 3. Vt Concilia & Eccleſiæ Patres, de libero electiuo loquentes, prudenter interprætemur, illos intelligere debemus iuxtà ſenſum contradicentem Hæreticis, ſiue ſenſui, quo liberum electiuum negant Hæretici; atqui ſenſus iuxtà quem Hæretici negant liberum electiuum eſt ſenſus noſter compoſitus ergò *&c.* probatur minor, quia nullus, tam abſurdus eſt, & inſanus, vt dum vnum contradictoriorum ponimus, neget in ſenſu diuiſo iſtius aut præmotionis phyſicè ad illud, liberum electiuum ad priuationem; quia hoc infallibiliter & eſſentialiter, haud ſecus quam priuatio in iſto ſenſu diuiſo, inuoluitur: imò etiam ſi de contrarijs ſit ſermo, nullus tam abſurdus & inſanus hæreticus, vt, dum vnum contrariorum ponimus, neget in ſenſu diuiſo iſtius aut præmotionis phyſicè ad illud, & poſitâ præmotione phyſicè prædeterminante ad alterum iſtorum contrariorum, liberum electiuum ad alterum iſtorum; quia eadem vtriuſque ratio, ergò *&c.*

CLXI. Probatur 4. Trident. Seſſ. 6. Canon. 4. definit *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire*, & hoc quod *non agere* poſitum in definitione liberi electiui, eſt in Scripturis, Concilijs & Patribus, hic in Tridentino dicitur *vocationem Dei abijcere, reſiſtere, diſſentire, non*

reſpondere, non obedire, non ſequi &c. atqui poſſe vocationem Dei abijcere, illi poſſe reſiſtere, diſſentire &c. non eſt quomodocumque eam poſſe abijcere, non eſt ei quomodocumque poſſe reſiſtere, diſſentire &c. vt vel ex ipſo poſſe conſentire, reſpondere, ſequi &c. in ſenſu diuiſo præmotionis neceſſariæ ad diſſenſum, non reſponſionem voluntariam poſitiuam &c. patet; ſi enim hac præmotione abſente, poſſe conſentire non dicat præmotionem ad conſentiendum in ſenſu compoſito præſentem; liberum electiuum definiri poterit, quod nullis poſitis ad agendum, aut non agendum, ſiue ad conſentiendum, vel diſſentiendum prærequiſitis, poteſt agere vel non agere, ſiue conſentire vel diſſentire; quam defini tionem, vel ipſi, ad vnum, Hæretici exploderent, ergò *&c.*

CLXII. Dices: Tridentinum loco citato definit *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit*; eo ſenſu quo omnes dicere debent poſſe prædeſtinatum damnari, ſi velit: atqui poſſe damnari, non dicit gratias prædeſtinationis in ſenſu compoſito præſentes, ergò *&c.*

CLXIII. Reſp. Negando minorem: quia cum omnes gratiæ prædeſtinationis diſtributiuè ſumptæ, ſint moraliter & phyſicè ſufficientes ſecundùm ſubſtantiam, ſemper relinquunt in prædeſtinato poſſe in ſenſu compoſitò earum vt ſic preſentium damnari; non damnabitur tamen prædeſti-

natorum vllus, quia tota collectio gratiarum prædeſtinationis, licet ſecundùm ſubſtantiam ſufficientium, quemcumque prædeſtinatum certò & infallibiliter determinat ad ſaluari, ſic vt ſub illis collectiuè ſumptis impoſſibile ſit eum non ſaluari, aut damnari, vt ex profeſſo declaratum eſt Luct. præcedenti.

CLXV. Inſtabis: ſicut Beati Deum clarè & intuitiuè videntes *poſſent volutionem ſuam* (id eſt amorem ſuum erga Deum) *mutare ſi vellent, prout vir ſanctiſſimus* (cuius exemplo id probatur) *poſſet inebriari ſi vellet, quò tamen manentibus motiuis ſuæ ſanctitatis, numquam adduci poſſet*; ita ex Trident. *liberum arbitrium à Deo motum &c. poteſt Deo excitanti &c. diſſentiri ſi velit.* Ita ferè Ianſenius de gratia Chriſti lib. 46. cap. 35.

CLXVI. Reſp. 1. Inde potius concluſionem noſtram firmari, quam infirmari; quia ſicut reuerâ vir ille ſanctiſſimus habet virtutem phyſicam ſufficientem ad ſe inebriandum, quidquid moraliter non poſſit ſe inebriare; ita ille qui habet dictam gratiam, habet virtutem phyſicam ſufficientem ad non ponendũ opus bonum, ad quod ipſa ordinatur, ac proindè illa gratia modo dicto ſumpta non eſt niſi phyſicè ſufficiens, quod intendimus: deindè illa interpretatio tam ridiculè & ſine fundamento adfertur, ac id quo dicerem, 1. Deus poteſt producere chimeram ſi velit, peccare ſi velit, quod tamen ibidem cap. 4. de Deo negat,

an

an conſequenter? iudica: 2. poteſt Pater in diuinis Filium non gignere ſi velit, Pater & Filius Spiritum ſanctum non ſpirare ſi velint &c. quia conditiones hæ non ſunt de re magis impoſſibili: quam hæc, poteſt voluntas gratiæ diſſentire (ſcilicet quoad effectum) ſi velit, dato quod gratia abſolutè inimpedibiliter naturâ ſua effectum ponat, vt docent illi, qui definitionem liberi electiui in ſenſu diuiſo prærequiſitorum cum actione & non actione intelligendam volunt; non fuit autem neceſſe congregare Concilium ad talem definitionem contra Lutherum & Caluinum (qui id procul dubio, cum ſub illo ſenſu Trid. carpant, facilè ſemper conceſſerunt) faciendam: denique ex illis exemplis clarè deducitur per hanc conditionem *ſi velit* poſſe in ſenſu compoſito eſſe volitionem eius, quod conditionatur, & id quod conditionatur, iuxta id quod doctiſſimè S.Thomas quodlib. 5. quæſt. 2. art. 4. *de quocumq; poſſum dicere quod homo poteſt facere ſi vult; poteſt enim dici ſimpliciter, quod homo poteſt facere illud*, cæteris remanentibus præciſè ablatâ conditione, vt patet. & Pennotus ex ipſo & Thoma VValdenſi Carmelita Theologo præſtantiſſimo. lib. 9. cap. 15. *non debet vllo modo admitti illa gloſſa, quâ nonnulli dicunt. Concilium definiuiſſe quod liberum arbitrium poteſt diſſentiri, ſi velit, ſub conditione voluntatis, eò quod D. Thomas explicat dictum illud Ariſtotelis, Deus & ſtudioſus poteſt praua*

operari, videlicet ſi velit; nihil enim prohibet hanc conditionalem, Deus poteſt peccare, ſi velit, eſſe veram, licet antecedens & conſequens ſit impoßibile: rationẽ ſubdit cur illa gloſſa nullo modo admitti debeat, quia *eſt illa gloſſa à VVicleffo excogitata ad rationes Catholicorum eludendas, quam Thomas VValdenſis, lib. 1. doctrinalis cap. 15. reijcit tamquam errorem & contrà diuinam ſcientiam; quia quando ſcriptura docet, Deum plura quam faciat, facere poſſe ſi velit, ſupponit Deum poſſe velle:* vndè cum eodem ſubdo: cum Trident. ait, *liberum arbitrium diuinæ gratiæ poſſe diſſentire ſi velit, ſupponit illud poſſe velle diſſentire; alioqui nihil contrà Hæreticos definiuiſſet, quia & Catholicus, & VVicleffus, & quiſuis alius fati aſſertor, ſinè vllâ contradictione admitteret hanc conditionalem, voluntas à Deo mota per gratiam efficacem, poteſt diuinæ motioni diſſentire, ſi velit; ſed negabunt illam velle poße; quarè debet Catholicus ab iſtis gloßis frigidis cauere,* & prius probare velle poſſe; ſic vt in modo volendi, à modo ſentiendi v.g. brutorum diſtinguatur.

CLXVII. Probatur 5. definitio liberi electiui, neque intelligi poteſt in ſenſu diuiſo prærequiſitorum ad vnam, neque in ſenſu diuiſo ad vtramque partem contrarietatis aut contradictionis; ergò neceſſariò intelligi debet in ſenſu compoſito prærequiſitorum ad vtramque partem &c. conſequentia patet, probatur antecedens,

dens; non primum, quia ſi intelligi poſſet in ſenſu diuiſo prærequiſitorum ad vnam partem, deberet definitio liberi electiui hoc modo in ſenſu compoſito intelligi, *liberum electiuum eſt, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt proximè agere & remotè non agere*; quod, præterquam ſit contrà Patrès probatione 2. citatos, cum dicat in ſenſu compoſito, impoſſibile eſt proximè non agere, definitionis liberi electiui erit hic ſenſus compoſitus, *liberum electiuum eſt, cui poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſibile eſt proximè agere, & impoſſibile eſt proximè non agere in actu ſecundo*; ac proindè, proximè non agere mihi impoſſibile, & (conſequenter propter rationis paritatem) proximè agere mihi impoſſibile, erunt mihi electiuè libera; ſi autem id quod eſt mihi impoſſibile proximè agere ſit mihi electiuè liberum, quid ni Deus impoſſibilia nobis iubeat contrà illud Auguſtini de natura & gratia cap. 69. & 43. *nec impoſſibile aliquid imperare poteſt, qui iuſtus eſt; nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius eſt*, imò & contra Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti debet, Dei præcepta eſſe impoſſibilia* &c. (ex quibus facilè intelligitur ſequentem Bullæ Pij V. & Gregor. XIII. &c. artic. 42. *definitiuâ hac ſententia Deum homini nihil impoſſibile*

bile

bile præcepiſſe , falsò tribuitur Auguſtino &c. iure meritiſſimo fuiſſe damnatum) quandoquidem Deus vt ſummum iubeat electiuè liberum , nec aliud intendant Auguſt. & Trid. & poſt Auguſtinum ac Tridentinum Theologi per ſimilia proloquia , quam ſeruare Dei præcepta eſſe homini ſub gratia conſtituto electiuè liberum , ergò *&c.*

CLXVIII. Adde ex allata hac probatione in aduerſariorum ſententia definitionem liberi electiui hoc modo in ſenſu compoſito conſtrui ; liberum electiuum mali, eſt, quod, poſitis omnibus ad omnia actu commiſſionis tranſgredienda diuina præcepta prærequiſitis, poteſt proximè illa actu commiſſionis tranſgredi & remotè ſeruare. ex quo ſic argumentor : vel illud *poſſe remotè ſeruare*, dicit *poſſe* illa ſeruare ſimpliciter, vel non ? ſi primum quandòquidem per Authores iſtos non dicat in ſenſu compoſito gratiam ad illa ſeruanda efficacem , illa ſimpliciter ſeruare poterit ſinè gratia, quod pluſquam Pelagianum eſt , nec ipſi admittent : ſi ſecundum , igitur ad *poſſe* omnia Dei mandata ſeruare ſimpliciter , iam nobiſcum fatentur requiri in ſenſu compoſito gratiam, ſic vt, poſitis omnibus ad omnia actu commiſſionis tranſgredienda diuina præcepta prerequiſitis, ſine gratia in ſenſu compoſito non ſit proximè *poſſe* illa actu commiſſionis tranſgredi , & *poſſe* ſim-

ſimpliciter illa ſeruare, quod totâ hâc Luctat. impugnatum eſt.

CORROLARIVM.

CLXIX. Colliges ex præmiſſis, non ſatis tutò à nonnullis doceri gratiam Chriſti ſanare liberum arbitrium, ſed in ſenſu compoſito ad eligibile bonum neceſſitando: quia Auguſt. D. Thomas & alii PP. liberum neceſſarium aliud non agnoſcunt, præterquam ex propenſione naturali volũtatis neceſſarium liberum; electiui autem actus, & eligibilia obiecta non ſunt talia, vt patet; putoq; (aliundè ſaluâ Patrum authoritate) has à Pio V. & Gregor. XIII. *quod voluntarie ſit, etiamſi neceſsitate fiat, liberè tamen fit.* & *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.* damnatas propoſitiones, ſic intelligi debere, *eligibile, quod voluntarie eligitur, etiamſi neceſsitate eligatur, liberè tamen eligitur.* item *ſola violentia, non vero neceſsitas electiuorum actuum & eligibilium obiectorum, repugnat libertati hominis naturali, quâ electiua.* quia errores, quos in illis propoſitionibus intendunt Pontifices iſti damnare, ſunt circa electiuos actus & eligibilia obiecta: propoſitionum autem iſtarum cenſura non ſatis vitatur dicendo *motus indeliberatos voluntariè fieri, non tamen liberè*; item *præter violentiam, indeliberationem etiam repugnare libertati hominis*

nis

nis &c. quia hæc quidem vera ſunt; ſed aliud præterea intendunt pontifices, videlicet, neceſſitatem electiuorum & eligibilium à voluntate remouere; ne alioqui voluntas, cenſeri debeat vt natura ex proprio operandi modo ad vnum determinata; ac proinde principium ſimpliciter neceſſarium, vt volunt moderni hæretici, contra quos damnantur. vide D. Thom. quæſt. 24. de verit. art. 1. in corpore, & ad 2. item lib. 1. contra Gentes cap. 88.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD MAIOREM

SS. AVGVSTINI ET THOMÆ

GLORIAM.